DE SVBSTAN-TIA FOEDERIS GRATVITI INTER DEVM ET ELECTOS;

Itemque

DE MEDIIS, QVIBVS EA IPSA SVBSTANTIA NOBIS COMMVNICATVR,

Libri duo è prælectionibus Gasparis Oleuiani excerpti.



GENEVÆ,

APVD EVSTATHIVM VIGNON

M. D. LXXXV.

T



ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO D. GEORGIO A SAYN IVniori Comiti in Vvitgenstein & Domino in Homburg &c. S.



MNES homines naturâ fœlices esse volunt, Georgi Comes generose, sed pauci veræ fœlicitatis viam norunt. Quid multis de hac re visum sit, non est instituti nostri commemorare. Illi enim in re omnium grauissima ludere visi sũt: propterea que à legitimo scapo aberrarunt. Itaque hîc, quid diuina vox nobis proponat, satius est intelligere, quàm hominum decretis niti: vt Dei lucem sequentes, eo, quò volumus, tandem perueniamus. Vera ergo & solida fœlicitas in eo est, vt cum Deo O. M. *pacem habeamus & colamus, eique firmissimè coniuncti sensibus & animis adhæreamus. Nec enim est quòd nobis plurimùm gratulemur, quòd simus, viuamus, moueamur, sentia-*

mus, præterita cum præsentibus & futuris connectamus, aliasque permultas animi & corporis præclaras dotes possideamus. Hæc enim cum brutis quadam ex parte, & cum reprobis sunt cõmunia. Sed ea demũ perfecta beatitas censenda est, cùm ad Deum beatũ & vnicum beatitatis datorem quamproximè accedimus, eique assimilari contendimus. Deploranda sanè est generis humani conditio multis in rebus, sed non parum in eo, quòd non appetitus solùm noster, sed ipsum τ̃ σαρκὸς φρόνημα sit ἔχθρα εἰς θεόν, vt ait Apostolus. At non tam de morbo ipso, quàm de eiusdem causa ac remediis nobis suscipienda est cogitatio: vt quod viribus humanis fieri nullo modo potest, id ope diuina adipisci queamus. Nec verò inimicitia illa ex eo proficiscitur, quòd terrena corporis mole semper deorsum vergente, & mente cælũ versus tendente constemus: licet plausibilis videatur hæc ratio quibusdam philosophis: sed quia imago Dei obliterata in nobis & Satanæ penicillo inducta, vix quicquam primæuæ illius suæ pulchritudinis retineat. Nam in mente tenebræ pulsa luce arcem occupauerunt tanta tyrannide, vt quid bonum, quid verum sit non magis videamus, quàm noctua solis lucem intueri potest, vt

ipse

ipse quoque veri boni ignarus Aristoteles dixit. Appetitu autem per auia sic à recto deflectunt, vt ἀταξίαν illam deflere magis quàm describere conueniat. Hic verò & Dei iustitia clarißimè fulsit, & clementia eluxit. Rebellantem enim aduersum se hominem coërcuit: sed tamen eidem se beneficum pacto fœdere æternùm promisit. Sicque dissidium illud ingens sopitũ, hominis pacata cõscientia, & ad fœlicitatẽ verã patefactus aditus, Fœdus illud vnico misericordiæ Dei per Christũ exhibitæ fundamento nititur: cuius etiam sanguine est sancitum: est autem prophetarum & Apostolorum scriptis velut tabulis declaratũ, quibus solis, tanquam certissimis oraculis est acquiescendũ. Ac sanè is in pietate multùm profecisse censendus est, cui vnicè scripta illa placuerint, quique in iis euoluendis dies noctesque collocat legendo, audiendo, meditando, loquendo, scribẽdo.

Nihil tamen obstat quin ex illis Sacrosanctis fontibus riuulos sequamur, vt sunt in multiplices & præstantes vsus deducti à multis præstantibus doctrina & pietate viris, quos Dominus in vinea sua operarios & colonos variis locis, & temporibus constituit. Sic tamen vt quicquid illi in medium adducunt, ad vnam verbi illius diuini per

Prophetas & Apostolos scripti, amussim exploretur. Ex quorum numero cùm sit noster hic Gaspar Oleuianus, operæpretium facturos existimo, qui se ad illius ductũ applicuerint, docta non minùs quàm pia illius monumenta manu sedula versantes. In quibus hoc, mole nõ magnũ sed fructu maximũ, opusculum meritò non vltimum locum obtinet. Hîc enim paucis, solidè & perspicuè summam complexus est doctrinæ sacræ, hoc est fœderis illius, quo Deus sibi reconciliatos electos omnes suos deuincit, eosdemque beat. Quod optimè ipse scis & aliis cõfirmare potes, generose Comes Georgi, qui Oleuianum non tantùm ex scriptis, sed ex vsu & familiari consuetudine nosti: quemque in Ecclesia docentem, & hæc ipsa peculiaritèr selectis quibusdam nobilibus & piis auditoribus proponentẽ, vnà cum generoso D. Philippo iuniore Barone in Vuinnẽburg & Domino in Beyhelstein, cognato tuo, pietate & doctrina nõ vulgariter tincto, viua voce audiuisti: quique virtutes Oleuiani tã soles admirari, quàm ille tuũ ingenium, amabiles mores, modestiã, doctrinam, pietatẽ amat: & nos omnes, qui hæc ipsa in te nouimus, laudamus. Magnum est te illustri loco natum in hoc ætatis flore linguarũ quatuor co-

tuor cognitionem consecutum esse :in Philosophicis, historicis, iure ciuili nō paruos progressus fecisse : sed illud maius, imò maximum, quòd Dei cognoscendi & colendi sis valde studiosus. Hoc me mouit vt pietatis Christianæ epitomen hanc tuo nomini inscriberē: in qua tamen iuris aliud nihil habeo, quàm quod mihi autoris ipsius humanitas & fraterna in Christo, cui in sacrosancto Ecclesiæ ministerio vterq; nostrûm seruimus, cōiūctio mihi concedit. Quod meū factū non moror vt nonnulli sint interpretaturi, cùm id Oleuiano probatum iri confidam. Te verò, Comes generose, vt hanc animi erga te mei testificationem in bonam partem accipias, etiam atque etiam rogo. Vale. Dat. Geneuæ Prid. Calend. Febr. anno temporis vltimi CIↃ. IↃ. LXXXV.

Tuæ Generositatis
Studiosissimus
A. F.



DE SVBSTANTIA FOEDERIS GRATVITI INTER DEVM ET ELECTOS,

PARS PRIMA.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Creatore, & homine qui cum fœdus contrahit.

1. DEVS promiserat per Ieremiam Prophetam se percussurum nobiscum fœdus nouum, non secundum fœdus illud, quod pepigerat cum Patribus, cùm educeret eos è terra Ægypti: quia irritum fecerant pactum illud: sed hoc fore fœdus: Daturum se Legem suam in medio nostri, & in corde nostro inscripturum eam: & futurum nobis in Deum, nosque ipsi in populum: quia propitiandus sit iniquitati nostræ, & peccatorum nostrorum nolit recordari amplius Ierem. 31. Hebr. 8. Hoc fœdus huiusmodi veri Dei cognitionem nobis promittit, quæ & gratuitam remissionem peccatorum in Christo amplectatur, & hominis quoque renouationem ad Dei imaginem ex se generet.

2. Cùm autem sub nouo fœdere siue te-

stamento non omnibus donétur hæ res pro missæ, Deus autem verax sit, necessariò fœdus distinguendum est. Dupliciter autem accipitur fœdus: primùm pro ipsa fœderis substantia, siue pro rebus ipsis à Deo promissis: deinde pro eius administratione in visibili Ecclesia. In priore significatione accipitur apud Ieremiam loco iam citato: eaque electis est peculiaris. Nam iis omnibus & solis vtraque illa pars promittitur, peccatorum remissio & instauratio ad Dei imaginem, ipsaque adeò Dei cognitio promittitur, qua vtrúque Dei beneficium amplectantur, quamque à semetipsis nunquam habituri essent. Ioan. 6.v.44.45.64.65. Et cap.10.v.26. Et cap.11.v. 52. Actor.13.v.47.48. Rom. 8. v.29.30. Et cap. 9.v.7.8.9.11.15.16. Tit.1.v.1. Sic de substantia fœderis loquitur Moses Deuter. 30. Circuncidet Deus cor tuum & seminis tui. De administratione verò fœderis agit Gen. 17: Hoc est fœdus meum &c. Item ait: Fœdus meum erit in carne vestra. Certè ipsa fœderis substantia non erat in ipsorum carne. Nec eorũ etiã omniũ corda fuerũt circuncisa, quibus fœdus administratũ seu oblatũ fuit per circũcisionem Act.7.v.51.52.53: propria scilicet malitia oblatam fœderis gratiam repellente, vt ibidem Stephanus docet. Fœdus itaque gratuitum, si essentiam eius spectes, est promissa & iurata à Deo donatio suimet in Deũ nunquam nobis irascentem Isai.54. & assumtio nostri in filios Dei & hæredes vitæ æternę in Iesu Christo æterno & vnigenito Dei Filio,

lio,

lio, facta semini Abrahæ qui est Christus, & omnibus qui fide gratis donati sunt eius semini inseruntur, & in eo gratis iustificantur & glorificantur citra conditionem aut stipulationem vllius cogitationis bonæ ex ipsorum viribus: vt pro gratuita sua bonitate ab iis celebretur in hac & æterna vita, Hos. 2. Isai. 54. Genes. 22. Heb. 1. & 6. Gal. 3. v. 15. 16. 17. 18. 22. 26. 29. Administratio autem fœderis gratuiti per testimonium seu sceptrum verbi est vocatio è tenebris (quarum conuincuntur è lege partim naturæ partim scripta) hoc est à peccato & pœna peccati ad lucem, hoc est ad agnoscendum & recipiendum Filium Dei in Euangelio oblatum, cum duplici beneficio, nempe gratuita iustitia in remissione peccatorum lucente in ipsius sanguine, & renouatione ad Dei imaginem seu spiritu sanctificationis ad participandum sortem hæreditatis cœlestis: facta externè voce, & visibilibus sigillis in testimonium mutui consensus inter Deum & nos, addita verò interna efficacia gratuitum fidei & resipiscentiæ donum ex infinita misericordia erga electos: ea verò non addita erga reprobos incõprehensibili quidem, sed iusto tamen & adorando Dei iudicio. Nunquam enim vocatio à tenebris ad lucem, hoc est oblata gratia reiicitur sine malitia & cordis contumacia.

De fœderis substãtia in priore huius tractationis parte agemus: secundo loco de testimoniis quibus tanquam externis mediis, ea ipsa fœderis substantia nobis administratur.

3. Dicturi itaque de substantia fœderis primum omnium causas in illo loco Ieremiæ comprehensas summatim explicabimus 1. Quis sit Deus fœderis author: secundo quis homo sit cui fœdus hoc promittit: tertiò quale fœdus velit ferire: quartò in quem finē. Deinde vtramque fœderis partem essentialem à Deo promissam, quòd nimirum se donet nobis in Deum nunquā nobis irascentē & gratis nos renouantem seu sanctificantem ad gloriā cœlestem, per & propter Christum, per singulos articulos fidei deducemus: quo confecto vniuersa fœderis substantia explicata erit, quando ea omnibus articulis fidei adeo plenè est comprehensa, vt ad substantiam fœderis, quæ iis continetur, aliquid velle addere, non minus sit nefas, quàm nouos articulos fidei velle condere. Deus promittens est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus erigens fœdus hoc adoptionis in persona Mediatoris seu λόγῳ incarnato: Quod è collatione horum locorum manifestum erit, Ierem. 23. v. 5. 6. Ecce dies venturi sunt, dictum Iehouæ, quibus excitabo Dauidi germen iustum: qui regnabit rex, secundabiturque, ac exercebit ius & iustitiam in terra. Diebus eius seruabitur Iehudah, & Israel habitabit securè: atque hoc nomen eius est quo vocabit eum Iehoua iustitia nostra. Hebr. 10. v. 15. Testificabitur autem nobis & ipse Spiritus Sanctus: nam posteaquam prædixit, Hoc est fœdus quod paciscar cum iis post dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas cordibus eorum, & eorum mentibus

eas

eas inscribam: & peccatorum atque iniquitatum ipsorum non recordabor amplius. Gal. 3.v.15. Hominis licet pactionem authoritate confirmatam nemo abrogat aut aliquid ei superaddit. Abrahæ verò dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, vt de multis: sed de vno, Et semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico: pactionem ante confirmatam à Deo respectu Christi, lex, quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, vt aboleat promissionem, Et ca.4.v.4.5.6. At postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum factum de muliere, factum Legi obnoxium: vt eos qui Legi erant obnoxij redimeret, vt adoptionem acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, id est, Pater. Sed quò res tota plenius cognoscatur breuem Dei descriptionem è scripturis subiũgamus.

4. Deus est essentia spiritualis, æterna, infinita, omnipræsens, intelligens, verax, bona, pura, omnipotens, liberrima, iusta, misericors: Pater æternus, qui Filium characterem suæ hypostaseos ab æterno genuit è sua substantia: & Filius ab æterno à Patre genitus: & Spiritus sanctus ab æterno procedens à Patre & Filio: sicut patefacta est Deitas certo verbo tradito per Prophetas & Apostolos, quòd pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit, sustentet & gubernet cœlum & terram & omnes creaturas: & quod è genere humauo condito ad ipsius imaginem,

deinde verò libera voluntate nulla coactione in peccatum & æternum exitium lapso decreuerit gratis eligere sibi Ecclesiam in Christo, quam gratis fide donatam in eo iustificaret & glorificaret: idque vt pro summa sua misericordia coniuncta cum perfecta iustitia in hac & æterna vita celebretur. Huc etiam pertinet prior pars Symboli Athanasij è puro verbo Dei desumti. Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit. Hęc est autem fides Catholica, vt vnum Deum in trinitate & trinitatem in vnitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Sed patris & Filij & Spiritus Sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni, sed vnus ęternus. Sicut nec tres increati, nec tres immensi: sed vnus increatus, & vnus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus: Et tamē non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: Et tamen

non

nō tres Domini, ſed vnus eſt Dominus. Quia ſicut ſigillatim vnamquamque perſonam Deum & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre ſolo non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sācti. Et in hac trinitate nihil prius aut poſterius, nihil magis aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales: ita vt per omnia, ſicut iam dictum eſt, & vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda ſit.

5. E deſcriptione iā poſita, & beati Athanaſij Symbolo (quod è puro Dei verbo deſumtum totius Eccleſiæ Catholicæ confeſſionem continet) intelligitur primùm proprietatibus illis eſſentiæ diuinę in deſcriptione Dei poſitis, quæ in Deo ipſamet eſſentia ſunt, diſcerni Deum ab omnibus creaturis.

6. Adhæc ſingulas perſonas peculiaribus proprietatibus cùm ab omni rerum creatarū numero eximi (nulla enim creatura eſt quæ ab æterno genuerit Filium: aut quæ ab æterno è Patris ſubſtātia ſit genita, aut ab æterno à Patre & Filio procedat Ioann. 1. Geneſ. 1. Prouerb. 8.) tum etiam à ſe inuicem ipſas perſonas diſtingui.

7. Porro si distinctas in Deitate personas negant qui coecutiunt, imo ipso Sathana caeciores (neque id mirum cum Sathan excaecaverit mentes infidelium 2. Corinth. 4. vers. 4. 5. 6.) Quid ita? Quia Sathan suadens Evae mandati divini transgressionem non tam coecus erat ut personas in Deitate negaret, sed & personas ipsas ut Evae cognitas & earum gloriam etiam probe notam ei proponit, asserens, Elohim, id est, personas illas in Deitate scire, qua die ederint ex illa arbore, fore ut ipsorum oculi aperiantur, & fient sicut Elohim scientes bonum & malum: pro ut nempe personae in Deitate scientes sunt boni & mali. Nam non hanc fuisse Sathanae mentem, Eritis sicut Dii, scilicet gentium, ex eo liquet, quia neque gentes erant, neque Evam ad Deos qui nondum conficti erant potuit ablegare, nec denique proposito bono incognito conatus fuisset eam allicere. Vt igitur alliciat proponit bonum summum atq; maxime gloriae, & quidem Evae atque marito optime notum una cum ipsius summa sapientia: ideoque Sathan de personis ipsis vocabulum idem repetit, quo antea de eodem vero Deo loquens fuerat usus. Sed enim Deus ipse difficultatem omnē tollit promissionem Sathanae ironicè homini exprobrās atq; rē promissam, at a Diabolo non praestitam, nec in Diaboli gratiam a Deo unquam praestandam, de distinctis in Deitate personis, & vere existentibus, intelligentibus, volentibus explicans: Ecce, inquit Elohim, Adam factus est

sicut

sicut vnus ex nobis sciens bonum & malum. Quod Sathan dixerat, Eritis sicut Elohim, id Elohim repetit, atque effectus est sicut vnus ex nobis. Hæc ideo tantùm vt appareat eorum impudentia & excæcatio, qui sua negatione illius veritati à vero Deo, redemptionisque fœdere se abduci patiuntur, cuius affirmatione, Dei ore comprobatam, in peruersum tamen finem detortam, Sathan initio hominem à Deo & creationis fœdere abduxit. Angelos bonos eis non proponemus, neque Prophetas. Digni sunt pertinaces qui ad Cacodæmonem relegentur, ea tamen verba loquentem licet subdolè, quæ Deus ipse confirmat. Huiusmodi, inquam, præceptore hac saltem parte ipsis nō deteriore digni sunt, qui veritatē homini ab initio in paradiso ipsa experientia notam, ab ipso Cacodæmone confessam, à Deo ipso comprobatam, tanquam rem incognitam in dubium vocare audent.

8. Adhuc docuimus quis verus Deus sit qui fœdus nobiscum contraxit: de homine nunc dicendum, vt constet materiam & culpam dissidij apud hominem residere: salutis verò materiam omnem ex gratuito Dei bonitatis fonte manare, formamque habere quoad Deum, cum ipsius sapientia & perfecta iustitia consentientem: ita vt materia & forma remedij, morbo prorsus aduersetur. Videmus enim vt Sathan quo primum fœdus seu coniunctionem, quæ inter Deum & hominem conditum ad Dei imaginem intercedebat, euerteret, proposuerit homini spem

æqualitatis cũ Deo ipsiusque proprietatibus quam expetere homini fas non erat: atque ita primos parentes vnà cum ipsorum hæredibus in æternum exitium præcipitarit. Causa igitur dissidij omnis inter Deum & homines est peccatũ, hoc est voluntaria & planè libera defectio à Deo, totiusque hominis corruptio vnà cum iis quæ inde emergunt actualibus peccatis. Etenim nefarium illud fœdus, quo homo se manc pârat Sathanæ, eius mendacibus promissis fidem habens, quòd transgrediendo diuinum mandatum, Deo ipsi æqualis futurus esset, primus inimicitiæ cum Deo fons est: qui si introspiciatur penitius iusta Dei ira ex rei indignitate meliùs apparebit. Quid poterat cogitari magis Diabolicum, quidque magis velut ex diametro cum maiestate Dei pugnans, ideoque quodnam venenum magis mortiferum, quàm hoc Sathanæ mendaciorum patris promissum, falso etiam diuinæ conscientiæ testimonio ornatum: Scit Deus fore quo die ederitis ex arbore hac vt aperiantur oculi vestri, & sitis sicut Elohim, sciẽtes bonum & malum? Rursum quodnam lethalius venenum è serpentis lingua sugere parentes nostri potuissent, quàm hoc ipsum quòd mens eorum excæcata, & corrupta voluntas affectat æqualitatem cũ Deo & ipsius proprietatibus: eiusque obtinendæ studio Deo imperium detrectat, Sathanæque se mãcipat? Hinc & rei læsæ maiestatis diuinæ nascimur (quando omnes in Adamo peccauimus Roman. 5. prout Leui in lumbis Abrahæ deci-

decimatus est Hebr. 9. v. 10)& omnibus facultatibus corrupti ac deprauati 2. Cor. 3. v. 5. Tantum venenum quod hominem nefario ausu ad thronum vsque excelsi extulerat, cõtrario omnino remedio curandum erat; vt is qui non rapinam arbitratus est æqualem esse Deo (erat enim ab æterno è substantia Patris genitus, eoque & æqualis in omnibus, vt antea secundum scripturas ex symbolo Athanasij confessi sumus) se inaniret, formam serui assumens, fieretque obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis. Atque ita superbissimam affectationem æqualitatis cum Deo, vt opus Diaboli summum, cõtrario omninò remedio destruere voluit, sui nempe ipsius qui ab æterno Deo patri æqualis erat, inanitione & in assumta ex eodem Adamo massa in mortẽ omnium ignominiosissimam volũtaria deiectione. Quæ humilima obedientia Filij Dei omnium Angelorum humilitatẽ & obedientiam superat: qua nimirum humiliatione ad sortem hominum damnatorum sese deiicit Psal. 22: vt damnatos quos Pater ipsi dederat à causa & pœna liberaret Ioann. 17. Iesai. 53: vt tanta humiliatio obedientiaque eius personæ quæ æqualis Patri erat, exhibita in massa illa quę licet citra peccatum, tamen ex Adami, qui se extulerat, substãtia assumta erat, pretiũ esset iustitię Dei satisfaciẽs pro peccatis omniũ qui ad Filiũ iure gratuitę adoptionis pertinẽt: & vt idẽ qui adeo se deiecit, potẽs esset qui nõ modò excitaret propriã massã è morte Ioã. 2: sed

etiã eius surculos, nẽpe electos redderetque eis imaginẽ Dei (quam ipsemet in creatione dederat) & quidem illustriorem: vt quemadmodum omnes homines, qui secundum carnis generationem primi Adami filij erant, eiusdem à Deo alienati, corrupti & iræ Dei rei imaginem gerebant: ita etiam omnes qui adoptionis gratuitæ iure ad secundum hunc Adamum pertinent cum Deo reconciliati similitudinem ipsius imaginis gererent, Philipp.3.1.Cor.15.

9. De hominibus itaque quibus Deus fœdus hoc promittit atque etiam præstat, sic habendum est: Hi sunt omnes quos Deus è turba damnatorum hominum decreuit gratis adoptare, fideque donare quam nullam in ipsis præuidit, nec à semetipsis habituri fuissent, vtpote qui erant naturâ filij iræ, sicut & alij, mortui in peccatis, habentes corda lapidea, inutiles ad cogitandum quicquam boni tanquã ex semetipsis, ipsæ tenebræ, hostes denique Dei, serui peccati & Sathanæ. Quibus verbis à Deo describuntur his locis. Ephes.2.1. Ezech.36.v.26.2.Corinth.3.v.5.Ioann.1.v.5. Rom.5.v.10.& cap.8.v.7.Ioann.8.v.24.34.36. Colloss.1.v.13.Hebr.2.v.14.15. Qui cum tales sint, nolle se, ait Dominus, eiusmodi fœdus cum iis percutere, cuius vel minima pars in ipsorum viribus fundata sit, quale illud fuerat, quod percusserat cum patribus eorum, cùm educeret eos ex Ægypto. Rationem assignat: Quia non seruârunt illud. Cur autem nõ seruârunt? An quia non debebant? Imò iure crea-

creationis debebant: deinde etiam ex pacto. Fœdus enim legale erat pactum solenniter confirmatum, quo obligabatur populus ad præstandam propriis viribus (Mat.22.) perfectam obedientiam Legi, cùm sit æterna norma iustitiæ in mente diuina: cui vult omnes rationales creaturas esse conformes: ac à Deo promittebatur vita æterna perfectè seruantibus: maledictio verò denunciabatur transgredientibus.

10. Quamobrem ne cōcidat fœdus apud miseros homines in peccatis mortuos, corda habentes lapidea, qui Legi Dei non subiiciũtur: & ne possunt quidem Roman. 8, qui denique non idonei sunt ad cogitandum quicquam boni ex semetipsis 2. Corinth. 3. sed vt firmum & æternum maneat, eiusmodi fœdus promittit cuius vniuersa essentia à se solo pendeat, & in Christo suo fundata sit: sicut per eundem Prophetam antea promiserat ca. 23. v. 51. Ecce suscitabo Dauidi germen iustũ & regnabit Rex, & prosperè aget & faciet iudicium & iustitiã in terra. In diebus illis saluus erit Iehuda & Israël confidenter habitabit. Et hoc est nomen eius quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra.

11. Modum, etiã exequendi sui decreti in nobis eiusmodi promittit c. 31, cuius vis & efficacia non à corrupto homine, sed à se solo proficiscatur. Etenim semetipsum, ait, cognitionem sui daturum nobis, siue mẽtes nostras cognitione sui informaturum, quæ & Deum in æternum recõciliatum amplectatur, & ho-

minis instaurationem ex se generet Actor. 5. v. 31. Quamobrem siue causam efficientem Deum spectes, & eos quibus fœdus promittit, siue materiam & formam cõsideres, semper fœdus gratuitum esse deprehendes, nullaque conditione nostræ dignitatis, meritorum aut propriarum virium niti. Audiuimus enim Deum disertè dicere, se nolle eiusmodi fœdus nobiscum percutere, quale cum Patribus percusserat: quia eiusmodi fœdus Patres transgressi sint, & adhuc trãsgressuri sint homines in peccatis mortui, vt antè sunt descripti. Videbat clementissimus Deus euanidam fore promissionem propter vanitatem nostram, quę à conditione nostrarum virium penderet. Quamobrem etiam Apostolus scopum illius legalis fœderis fuisse Christum ait ad Romanos 10. Et ne quicquam iustitiæ diuinæ in sanctione legis expressæ decederet, Mediatorem Deum & hominem iam antè per eundem Prophetam promiserat, cuius merito peccatorum memoria deleretur, & cuius efficacia leges cordibus nostris inscriberentur: quia cognitionem sui in Christo in medio nostri daturus esset.

12. Finis, cuius gratia fœdus hoc suum Dominus gratuitum esse voluit, duplex est: vnus, vt omnis gloria salutis nostræ ad se solùm redeat. Hunc consilij sui scopum disertè expressit per eũdẽ Prophetã 33. c. Et erũt mihi in nomen ad lætitiam & laudem & gloriam apud omnes gentes terræ, quæ audituræ sunt omne

omne bonum quod faciam eis Ephes.1. v.5.6. Alter finis est conscientiarum nostrarum firma & æterna tranquillitas. Rom.4. Nam si ij, qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, & vana reddita est promissio. quasi diceret, Promissio quæ adstricta esset conditionis seruādæ legis è propriis viribus, quę nullę sunt, effectu careret: & sic fides promissione effectu carente niti nō posset. Cùm verò fœdus à sola promissa Dei erga nos misericordia, nullis autem nostris viribus pendet Isai. 54. Eph.2. necessariò constans & æternum est teste Domino per eundem Prophetam ca.32. Feriam cum iis pactum æternum, quod non reuertar à tergo eorum vt benefaciam eis, & timorem meum dabo in corda eorum vt non recedant à me, & Psal.89.

13. Sūmam igitur sic colligamus, Vniuersa fœderis substantia gratuita est: Quoad Deum, is fœdus proprie nobiscum percutit cùm promissionem reconciliationis gratuitæ in Euangelio oblatam per Spiritum Sanctum cordibus obsignat, & renouationem ad vitam æternam inchoat, indies promouet ac tandem perficit. Tit.2. vers.5.6.7. 2. Timoth.1.vers.9. Galat.3.ver. 6.28.29. Quoad nos, qui mortui eramus in peccatis, recipitur fœdus, dum gratis nobis donatur Spiritus Sanctus, per quem excitati è morte in vitam fit, vt non modò velimus & possimus credere gratuitæ promissioni de reconciliatione per Christum

& instauratione nostri ad adeundum hæreditatem regni cœlestis, sed etiam vt credamus, seu ipsam fidem accipiamus. Neque enim Christus Ioan.6.dicit: Quicquid dat mihi Pater, potest venire ad me, sed, venit ad me, Ephes.1. Et cap.2.v.1.2.3.4.5. Quod si Mediatorem spectes, accipit quidem ab eo cœlestis pater pretium reconciliationis, oblationem nimirum corporis & sanguinis ipsius semel factam Hebr.9.v.10: Quia tamen Mediator ipse nobis gratis missus donatusque est (Quis enim meritus est vt Pater Filium mitteret?) & gratis etiam nobis meritum illud imputat, Spiritumque effundit, etiam hac ratione fœdus gratuitum est: finis autem, vt ex gratuita sua bonitate glorificetur Deus, & conscientiis nostris æterna constet tranquillitas. Atque ita totum hoc fœdus merè esse gratuitum & nulla conditione virium nostrarum, sed gratuita Dei misericordia in Christo per fidem, quam ipse donat apprehensa constare, certum est: oblatio duplicis promissionis in Christo, remissionis scilicet peccatorum & sanctificationis atque ipsius Christi donatio, quo ad Deum est gratuita: acceptatio ex parte nostra etiam est gratuita, quia est Dei actio in nobis, qua promissionem suam obsignat cordibus, vt acti agamus, hoc est effecti ab ipso credentes credamus & viuificati siue cōditi à Christo ad bona opera in iis porrò ambulemus, Ephes.2. v.1. vsque ad v.10. Expositis causis gratuiti fœderis, sequitur, vt agnitionem

Finis foederis

tionem Dei per quam Deus Pater, Filius,& Spiritus Sanctus se nobis in Deum exhibet nunquam nobis irascentẽ,& denuo nos creantem ad vitam æternã:atque ita vtramque fœderis partem essentialem à Domino disertè promissam,iuxta seriem articulorum fidei expẽdamus,ac doceamus,quomodo singuli articuli ad vtramque fœderis partem stabiliendam faciant.

14. Agnitio Dei Ierem.31.eiusmodi promittitur,qua & de gratuita remissione peccatorum certi simus & qua in nobis instauretur Dei imago.Credere igitur gratuitum Spiritus Sancti donum est:atque secũdum pactionem à Deo promissam sic definiri potest:Credere est virtute Spiritus Sancti ita Deum agnoscere vt se in verbo patefecit: eique in omnibus ipsius verbis sententia & volũtate eius cognita,assentiri vt veraci & omnipotẽti, atque ita gloriã dare Deo,& nõ cõsiderare quicquid in nobis vel aliis creaturis ei aduersari videtur: atque in hoc verbo vt pręcipuũ scopũ intueri fœdus gratuitũ seu promissionem Euangelij, quòd nimirũ per & propter Christũ nos gratis adoptet,ideóque peccatorũ nostrorũ nolit memor esse amplius,nósq; innouaturus sit ad vitã æternã Rõ.4.v.16.17.18.19.Eph.1.v.17.18.

Non abs re ponitur in definitione,Voluntate eius cognita:Cùm enim Deus verbũ non agnoscat à mente sua alienum, frustra fides requiritur quæ verbo illo nitatur, aut obedientia quæ illi verbo se subiiciat. Exempla extant Matth.4.v.6.7. Gal.1.v.6.7. Ierem.7.

v. 3. usque ad 10. Fides igitur Deum ipsum se nobis in Christo in Deū offerentem in promissione Euangelij amplectitur, atque in gratuita illa reconciliatione per obsignationem Spiritus acquiescens, instaurationem ad vitam aeternam ab eo qui & fons vitae est & fallere non potest, certò expectat. Itaque cùm dicis Credo in Deum Patrē, perinde est ac si dicas:

Credo Patrem Domini nostri Iesu Christi semetipsum mihi in Patrem exhibere. Quia autem Pater noster est per & propter Filium suum aeternum, vtique peccatorum nostrorū non vult memor esse amplius, (Nam quibus Deus peccata imputat, eos amore paterno nō complectitur) & per Spiritum Filij sui regenerare nos vult ad sui imaginem Galat. 4. v. 1. Ephes. 1. v. 7.

15 Deinde cùm omnipotens sit, non debeo considerare quicquid vel in me ipso vel etiam extra me vtique promissioni foederis aduersari videtur, sed laudem omnipotentiae dare Deo meo Rom. 4. v. 17. 19. 20. Itaque ne Diabolum quidem ipsum metuere debemus. Nam hoc modo honoraretur Diabolus, ac tantundem omnipotentiae & veritati Dei mei detraheretur: quemadmodum Dominus prohibebat ne populus sibi metueret ab hostibus suis Cananaeis: Dominum enim ipsum, aiebat Moses, ante eos egressurū & expulsurū gentes ante faciē eorū: sed Dominū Deum tuū timebis, inquit, nec scilicet peccatis eum offendas Deuterono. 1. v. 29. 30. 32. Et cap. 3. v. 22. Item cap. 18. v. 22. 4. Reg. 17. vers. 35. 36. 37. 38. Nam

propter

propter hanc vnam caussam nempe abiectum timorem Dei Dominus Sathanæ aliisque hostibus dat potestatem nocendi, quam nisi ipso solo omnipotente dante non habent, ne in pilum quidē nostri capitis. Nā alioqui Deus nō esset omnipotens solus, si Sathā partē potentiæ, quam is non daret, haberet Ioann. 1.

16. Adhæc cum constans & æternum fœdus cum Creatore habeamus, necesse est etiā omnes creaturas nobis cooperari in bonum Hos. 2. v. 18. Cùm igitur fœderis caput vnum sit, quod Dominus peccatorum nostrorū nolit recordari amplius, certum est etiam res aduersas non ab irato Deo (quantumuis sensus carnis ita eum apprehēdat) seu à rigore ipsius iustitiæ nobis immitti, neque esse signa animi à nobis alienati Heb. 12. v. 5. vsque ad 12. Iesai. 54. v. 9. Sed potius documenta esse se non approbare peccata ne eum quidem cùm ea fœderatis suis cōdonauit. Deinde etiam eò spectat Dominus vt his mediis Legem suam inscribat cordibus tum eorum quos castigat tū aliorum fœderatorum quibus hæ τιμωρίαι seu documenta seruiunt. Nam cum alterum fœderis caput renouationem ad Dei imaginem in se cōtineat, certum est Creatorem sua prouidentia omnia & singula ita gubernare, vt quicquid per creaturas fœderatis suis immittit, in eorum salutem dirigat Rom. 8. v. 28. 29. 30. Immittit verò aut prospera aut aduersa. Cùm prospera immittit in cognitione sui nos confirmat, & renouationem ad Dei imaginem in reconciliatis promouet, dum bo-

nitatem, ſapientiam, miſericordiam, potentiam ſuam in creaturis nobis ſpectandam & guſtandam præbet Actor. 9. v. 31: Fruebantur Eccleſię pace &c. Sic viciſſim cùm aduerſa immittit ſeu fœderatos ſuos probat aut caſtigat, fœdus ſuum etiam ſeruat atque adeo promouet. Auget enim ipſa πρᾶξει agnitionem ſui, quàm ſit bonus qui nolit ſuos torpere in peccatis, & ſanctus cuius iudicium incipiat ab ipſius domo, & qui minimè omnium conniueat ad ſcelera filiorum ſuorum. Atque ita auget cognitionem ſui. Deinde perficit quoque mortificationem peccati, dum quotidianis flagellis erudiuntur, quantum malum ſit peccatum & quantoperè naturæ Dei ſanctiſſimæ aduerſetur 1. Petr. 1. v. 14. 15. 16. 17. Et cap. 4. v. 17. 18. 19. Et in ipſa mortificatione virtute Spiritus ſui nos ſuſtentat ac viuificat Pſal. 98. v. 31. vſque ad v. 37. 1. Cor. 1. v. 3. vſque ad 10. Sic videmus Deum non animo vindicandi immittere calamitates ſuis fœderatis: firma enim ſtat iurata ſententia: Peccatorum veſtrorum non recordabor amplius. Et Pſ. 89: Semel per ſanctitatem meam iuraui &c. Depoſita igitur eſt omnis vindictę cogitatio. Sed cùm & altera fœderis pars non minus à Deo ſeruanda ſit de inſcribenda ſua lege in corda, non mirum ſi abſque vindicta, amore verè paterno ſuos caſtiget: ita vt non tam præteritum tempus caſtigando reſpiciat, quaſi acceptam iniuriam vlciſci cogitet, quàm futurum vt filij ſui porrò reddantur cautiores & ſanctiores, imò omnipotenti ſua virtute & guberna-

bernatione facit, vt etiam ipſum peccatum tum præteritum tum inhærens ipſis ſit humiliandi ſui occaſio, & continendi ſe in fœdere ſuo gratuito, quo ſcilicet magis ſentiũt, quàm ſint in ſemetipſis iniuſti, & propriis viribus deſtituti Ezechiel.16.in fine, Rom.7.v.8.24.25. Poſtremò cùm non ſplendorem, ſed mediocrem ſtatum quoad hoſpitia & alimẽta Eccleſiæ dat in hac vita, licet pro ſua omnipotentia dare poſſit feliciſſimum, nec tamen facit, fœdus ſuum nihilominus ſeruat. Quia omnes promiſſiones de rebus temporalibus ſiue de fruitione harum creaturarum diriguntur eò vt non impediatur regnum Chriſti ſeu fœdus gratuitum, ſed promoueatur in nobis tum guſtu diuinæ gratiæ tũm mortificatione peccati viuificationeque Spiritus. Itaque articulum hunc fœderis de omnipotẽti Dei cura erga ſuos fœderatos & beneficiis etiã quoad hanc vitam, ſiue quatenus ipſius filij adoptiui, creaturæ eius ſunt, ita attemperat ſapientiſſimus & clementiſſimus Pater, vt nimirum nõ deflectat à ſcopo principali nẽpe fœdere gratuito ſeu regno Chriſti in nobis promouendo: atque ita præſentis creationis rationem habet, vt & ipſa in nouã creationẽ hoc eſt regenerationem collimet. Cùm igitur videt nimiã affluentiã beneficiorum per creaturas obruere in nobis ſenſum ſpiritualis gratiæ, periculumque eſſe ne caro exultet, ea nonnihil reſtringit Ezechiel.16.v.49. Hoſ.2.v.12.13. Vult in ſumma nos curam gerere carnis noſtræ (& ipſe, vt creator largitur quò poſſimus,) ſed nõ

ad concupiscētiam. Rō.13.v.14. 1.Cor.10.v.6. Postremò cum Deus se nobis det in Deum, omnium hæredes sumus: Omnia nostra sunt, quia omnia Dei sunt, qui noster est, Isa.54.v.5. Hos.2.v.20. Ps.16.6. 1.Cor.3.v.22.23: Omnia vestra sunt, vos autem Christi: Christus verò Dei. Quæ cum ita sunt, hæreditate tamen hac cùm in benedictione temporali, tum rebus spiritualibus nonnisi ex parte fruimur in hac vita, quantum scilicet expedit ad promouēdum in nobis regnum Christi, & ad conseruandum politias quæ hospitia præbēt regno Christi in hac vita, Rom.13.v.1. Matt.17.v.26.

Hactenus in primo articulo Symboli vidimus quemadmodum Pater Domini nostri Iesu Christi in Patrem se nobis exhibeat, qui & peccata nobis non imputet, & nos Spiritu Filij sui regeneret ad hæreditatem cœlestem Gal.3.& 4.1.Cor.15.v.49.50. Hæc autem non possunt esse rata nisi in Christo & per Christum. Ideo sequitur,



ARTICVLVS SECVNDVS

Fœderis gratuiti de Mediatore Iesu Christo.

1\. QVONIAM iure creationis excideramus per peccatū, quo & maiestati diuinæ inobedientes fueramus, & imaginem Dei in nobis corruperamus, non ferebat Dei iustitia, vt peccatoribus se in Patrem exhiberet, qui & peccata cōdonaret & peccatores instauraret sine Mediatore. Itaque in secunda parte articulorum fidei po-

dei ponitur doctrina de mediatore Iesu Christo vero Deo & homine Ierem. 23. Prout autem homo duplex malum commiserat: nam & inobedientia Deum offenderat, & peccando semetipsum corruperat siue opus Dei destruxerat: ita & Filius Dei mediator fœderis à Patre constitutus spondet pro duabus rebus, primò se satisfacturũ pro peccatis omnium quos Pater ei dedit Ioã. 17: & ab æterno per Christum in filios adoptare decreuit Ephes. 1. Secundò se etiam effecturum vt sibi insiti pace conscientiæ fruantur atque indices renouentur ad Dei imaginem, quò Deus scopum primę creationis in ipsis consequatur, & in æternum pro infinita sua bonitate & in Christo exhibita misericordia celebretur: atque sic ipsis fore perfectum Iesum, id est saluatorem, qui merito & efficacia saluet populum suum à peccatis ipsorum Matth. 1.

2. Porrò Christi siue vncti cognomine vtraque pars sponsionis exprimitur, & promissio quoque quòd Pater sponsionem acceptet. Primùm enim Christi seu Messiæ appellatione docetur hanc personam venisse cũ mandato Patris, & à Deo ordinatã esse, vt sit Sacerdos æternus, qui pro nobis sacrificet & intercedat: & sit Rex noster qui efficiat seu generet in nobis odiũ peccati & studiũ iustitiæ: Secundò hanc personam promissionem habere quòd Pater sacrificium illud cum intercessione ipsius acceptet in plenam peccatorum satisfactionem: quodque per hãc personam dare velit Spiritũ, quo ipsi fide coniuncti

innouemur regeneremur à peccatis ad gloriá filiorum Dei Pſ.110.Actor.2. Oportebat itaque Chriſtum nobis vngi in caput,(ſeu ſpiritus vnctione poteſtatem vtriuſque officij accipere) vt conſtet non ſibi priuatim dona habere,ſed vt caput membrorum cauſa. Quia ipſe omnis vnionis inter Deum & nos debebat eſſe vinculum:alioqui nec ſacrificiū ipſius ad nos pertinuiſſet,nec regia poteſtas.

3. Finis autem vnctionis quoad priorem ſponſionis partem,eſt,vt perſona apud Patrē ſummam gratiam habeat ad intercedendum pro nobis ſeu eum nobis reconciliandum, & vt victima perfuſa tam ſuauiolenti odore modis omnibus accepta ſit & grata Ieſai.11.Eph. 5.v.2. Quoad alteram ſponſionis Chriſti partem,vt ex eius plenitudine hauriamus omnes dum per Spiritum eius innouamur Ioann.1. Ieſai.61.Luc.4.

Filium eius vnigenitum Dominum noſtrum.

4. Vtramque ſponſionis ſeu fideiuſſionis partem & mandati à Patre accepti vt impleret Mediator,oportebat eum eſſe vnigenitum Dei filium nobiſque conſtitui caput & Dominum in noſtra carne, atque ita eſſe nobis Emanuelem in æternum.Etenim quia cœleſtis Pater infinitam ſuam dilectionem nobis reipſa teſtatam facere decreuerat donatione Filij, in eoque nos adoptare in filios quibus & peccata cōdonaret & quos Spiritu Filij ſui donaret

donaret Galat.4.v.5.6.7: Certè Mediatorem per & propter quem adoptandi eramus, præ Angelis & hominibus naturam diuinam & hanc personæ proprietatē habere oportebat, quod solus esset à Patre ab æterno genitus, vt in eo resideret ea quam Pater testatur, summa dilectio, quæ ab æterno causa erat cur nos diligeret Ephes. 1. vers. 4. 5. 6. Quamobrem etiam decretum æternum de dilectione nostri in Filio missionem Filij in carnem antecedit, vt causa proprium effectum. Ioann. 3. Ephes. 1.

5. Et vt decretum nos diligendi in æternum & adoptandi, in Filio fundatum, erat: ita & eiusdem decreti executio. Atque ita quia filij, quos Pater adoptaturus erat, participes erāt & carnis & sanguinis, voluit æternus Dei Filius, per quem adoptandi eramus, eorundē fieri particeps. Itaque Filium nō Patrem nec Spiritum sanctum semen Abrahæ seu naturā humanam assumere oportuit, vt ea persona, quæ naturâ est filius & hæres omnium nos Patri reconciliatos & sibi insitos secum filios Dei & cohęredes faceret: atque ita secundum hunc sapientiæ diuinæ ordinem ius filiorum Dei ab æterno nobis decretum ex gratia cō-municaret, quod ipse solus habet naturâ Heb. 2. Cùm igitur æternus Pater se nobis vellet dare in Patrem, nosque sibi adoptare in filios, quos nunquam abdicaret hæreditateque priuaret 2. Sam. 7. Psalm. 89: dedit Filium qui est eiusdem cum Patre essentiæ, nobis in fratrem, summa quadam donationis

formà, qua nulla poteſt cogitari maior, vt nimirum Deus in perſona Filij ſummo & excellentiſſimo gradu eſſet Deus humanæ maſſæ à Filio aſſumtæ, in eoque fundamento nobis etiam eſſet Deus, quatenus nos ſuper hoc fundamentum ſuperſtruit: dum nimirũ nos maſſæ cui in ſummo gradu ſe donat atque fruendum dat, per Spiritum ſanctum inſerit, gratis iuſtificat, & renouat ad gloriam immarceſſibilem, è qua nunquam poſſimus excidere, vt ſuo loco demonſtrabitur. Et cùm nõ tantùm in integrum nos reſtituere Deo eſſet propoſitum, ſed in ius filiorum Dei longè excellentius & firmius quàm quod in prima hominis creatione acceperamus: ideo Filium incarnatum ſummi huius & ęterni fœderis voluit eſſe fundamentum: Requirebatur, inquam, Filius incarnatus, vt non tantùm pro diſſoluto creationis fœdere fieret expiatio, & eiuſdem inſtauratio: ſed etiam expiationis ſemel factæ perpetua eſſet duratio, & reſtitutio in ius ampli⁹ & excellẽtius ad Ro. 5. v. 17. Ideo ſequitur,



ARTICVLVS III.

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine.

1. Vt fundamentum fœderis gratuitæ adoptionis coniunctioniſque inter Deum & nos eſſet firmiſſimum,

mum, voluit cœlestis Pater Filium suum æternum assumere nostram naturam, hoc est animam & corpus humanum in vnitatem suæ personæ, saluis & distinctis manentibus & personæ quæ assumit proprietatibus, & naturæ quoque illius quæ assumitur. Quamobrem quòd Filius ab æterno est à Patre genitus, (quæ generatio scaturigo est si ordinem respicias reliquarum proprietatum diuinarũ, quas λόγος ab æterno habet) id non impedit quò minus caro, quam assumit, non ab æterno, sed in tempore: non è substantia Patris gignatur, sed de Spiritu sancto è substantia virginis, eaque æterno & vnigenito Dei filio vnita nascatur. Et vt λόγος hanc proprietatem nẽpe ab æterno à Patre genitum esse, saluam sibi retinet nec in assumtam naturam transfundit: ita nec reliquas quæ cum æterna generatione Filij sunt coniunctæ. Vt, non quia λόγος ęterna & per se subsistens Patris sapientia semper apud Patrem fuit, ideo etiam caro quam λόγος assumsit, semper apud Patrem fuerit: Non quia per λόγον omnia facta sunt, ideo etiam per carnem quam assumsit omnia facta sint: quin potius ipsa caro sit facta ex substantia Mariæ virginis & ex ea in tempore nata non ab æterno è substantia Patris genita: & sic deinceps ad Galat. 4. vers. 4. Prouerb. 8.

2. Cum autem dicimus diuinam & humanam naturam in Christo personaliter vnitas esse, intelligimus vnigenitum Filium Dei æternum atque ita naturâ Deum personam

nempe secundam in trinitate assumsisse non personam siue indiuiduum per se subsistens: cui proprietatem & maiestatem suam cõmunicarit, vt & ipsum sit ab æterno è substantia Patris genitũ, ideoque & reliquarũ proprietatum, quæ cum æterna generatione necessariò coniunctæ sunt, particeps: sed humanam naturam, quæ retinendo suas proprietates nihilominus indissolubili nexu coniuncta sit cum vnigeniti Filij Dei persona. Et sanè cùm scriptum sit, Verbum caro factum est, non autem, Caro facta est verbum, perspicuum est si qua ex vnione consequi deberet proprietatum transfusio, oportuisse potius λόγον resignata generatione æterna, & creatione cœli & terræ, ex carne humana, hoc est, ex semine Dauidis procreatum esse, quàm carnem seu semen Abrahæ assumtum in maiestatem generationis æternæ reliquarumque cum ea coniũctarum proprietatum euectum esse. At neutrum factum est, neque fieri oportuit, sed saluam tam personæ æterni λόγου, quã naturæ assumtæ oportuit constare proprietatem. Ideo de Filio dicitur, Deus manifestatus in carne 1. Timoth. 3.

3. Atq; ita sanè fieri oportebat cũ propter Dei decretũ, tũ propter eius executionẽ: nẽpe vt eo modo parari quo Deus decreuerat hominum salus & in æternũ quoque conseruari posset. Primò enim, fons salutis nostrę erat, ęternum illud & immutabile Dei decretũ, vt in Filio suo vnigenito nos adoptaret, eos nimirũ quos fide donare decreuerat: alios quos nõ decreue-

decreuerat donare fide, iusto iudicio puniret. Vtrunque verò propter suam gloriam facit, nẽpe propter gloriã summæ misericordiæ in iis quos saluat, & iustæ iræ in iis quos meritò æterno exitio punit. Ad vtrunq; scopũ vt perueniret, hunc simul decreuit exequẽdi modũ. 1. Vt hominẽ purum conderet: 2. Is autem spõtè, nulla coactione peccaret: 3. Vt Deus ex tota multitudine ęquè damnatorũ eligeret quos ab æterno in Christo adoptare decreuerat: 4. Horum causa Filiũ in mundũ mitteret vt propter ipsorũ salutẽ carnẽ assumeret, & merito suo & efficacia ipsis adoptionẽ ab æterno decretã largiretur & conseruaret, quę est vocatio efficax & glorificatio vt postea in articulis fidei exponetur. Ergo oportuit in Mediatore tanquã in decreti electionis, eiusdẽque executionis fundamẽto vtrãq; naturã cũ suis proprietatibus saluã esse & manere in æternũ: Naturã nẽpe Filij, qui summè à Patre diligitur, & dilectionis qua nos cõplectitur, fons est & scaturigo: & nostræ quoque, hoc est, fratrum suorum, naturæ, quos Pater ei saluandos immutabili decreto tradidit ad Heb. 2: Is qui sanctificat & qui sanctificantur ex vno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit fratres illos vocare (vbi obserua eos qui sanctificantur, seu efficaciter vocãtur, fratrum Christi nomine censeri, vt cõstat ex sequentibus) dicens: Annũtiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ tibi hymnos canam. Et rursus: Ego fretus ero ipso. Et iterum. Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus. Quoniam igitur pueri participes

sunt carnis & sanguinis ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem. Item Ioann.11.v.51.52.

4. Omnipotentiam quidem suam testari potuisset primùm cōdendo hominē non modò purum, sed etiam ita vt labi non posset: verùm eo pacto nō fuisset strata via tum ipsius iustitiæ in declaranda iusta sua ira in puniendis iis ob peccata sponte commissa, quos non eligere, sed reprobare decreuerat: nec etiā via perueniendi ad manifestationem summæ suæ misericordiæ in eligendis iis & gratis seruandis, qui non minus sponte sua in exitium corruerant, quàm alij.

5. Deinde etiā omnipotentiam suā testari potuisset sine missione Filij, sed tantam dilectionem non item: neque omnipotentiam à volūtate diuellere fas est prout nec Deus ipse diuellitur. Potuisset enim sola omnipotentia cōfundere, imò in nihilum redigere Sathanā, (quod tam facile ei fuisset quàm facile fuerat eum ex nihilo angelum lucis creare) neque etiam iustitia Dei magis sugillari potuisset in eius deletione quàm negari bonitas in eius gratuita creatione. At voluntatem ipsius à potentia separare fas nō est, quæ statuit hoc modo. nempe è gratuito dilectionis suæ fonte in Filio & per Filium, dando eum pro nobis in mortē, nos liberare à potestate Sathanę He.2. atque constituendo eum caput Ecclesiæ, & non aliter conferre & cōseruare nobis salutē.

6. Voluit enim decretum illud dilectionis suæ ita exequi cœlestis Pater, vt satisfieret

perfectæ suæ iustitiæ (quæ vt ei essentialis est ita eam non magis quàm seipsum abnegare potest) atque vt in ipsa executione iustitię eluceret magnitudo & robur dilectionis suæ in Filio, & iuratæ ab initio perpetuæ misericordiæ. Cùm igitur (ita exigẽte Dei iustitia) id quod Deus exprobrarat Adamo, Ecce Adã factus est sicut vnus ex nobis, oportuerit expiari, missus est Filius, non qui similis fieret Deo, sed qui cum esset verus Deus, fieret similis Adamo in omnibus excepto peccato Heb. 2. & 4. 1. Corin. 15. Acceperat enim mandatum quod nemo perficere poterat nisi qui verè esset (vt Deus loquitur) vnus ex nobis, hoc est, ex tribus Elohim, & simul haberet sibi vnitam illius Adami carnem, citra peccatũ tamen, qui voluerat fieri sicut vnus ex tribus Elohim: mandatum, inquam, merito & efficacia saluandi electos. Ac primùm quidẽ quoad meritum, requirebat exactissima Dei iustitia, vt summum illud affectatę atque ita læsæ maiestatis diuinæ crimen ab homine patratum vnà cum aliis inde emergentibus peccatis, extrema humiliatione illius personæ, quæ ab æterno Patri esset æqualis, & in qua nos ab æterno in filios adoptare decreuerat, expiaretur. Itaque oportebat Filium assumendo carnem sese inanire, & fieri obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt obediẽtia illa Christi, qua tanta persona, quæ est æqualis Patri, ab æterno eiusdem potestatis & gloriæ, ex substantia Patris genita, sese in illa massa terræ quam ab Adamo assumsit adeò

humiliat vt fiat maledictio, esset ab origine mundi in omnem vsque æternitatem æquiualēs precium pro peccatis omnium totius mūdi fidelium, imò vt λύτρον præponderaret debitis. Ideo Actorum 20. dicitur, Deum redemisse Ecclesiam proprio sanguine. Et Rom. 5: Gratia superabundauit supra delictum. Ad Philipp. 2: Qui cum in forma Dei esset, non duxit rapinam æqualem se esse Deo: sed ipse se inaniuit formam serui accipiens similis hominibus factus, & habitu compertus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Habemus in hoc dicto Pauli solidam confirmationem eorum quæ antè dicta sunt. Primùm personam secundam in trinitate quæ assumit formam serui, antequam eam assumeret, ait non duxisse rapinam, æqualem esse Deo, vt certè æqualitatis affectatio in Adamo sacrilega rapina erat: Rationem assignat apodicticam: Quia erat in forma Dei. Quod igitur natura ipsius erat, in illius vsurpatione nil rapuisset alieni (vt fecerat Adam) siue essentiam siue gloriam Dei spectes. Secundò ait: Inaniuit semetipsum. En quod diximus ab Adamo affectatæ maiestatis crimen vnà cum aliis peccatis inde ortis, contrario omninò remedio eguisse. Ideo qui citra rapinam æqualis Deo erat inaniuit semetipsum. Tertiò ostendit modum quo semetipsum inaniuit eumque duplicem: Vnus est quòd is qui antea ab æterno erat in forma, hoc est, essentia & gloria Dei ita se inanire voluit, vt acciperet

peret formam serui similis hominibus factus & habitu compertus vt homo. Quibus verbis docet Filium assumendo nostram carnem cũ suis miseriis inaniuisse essentialem illam & æternam suam gloriã, quæ in ipso essentialia & æterna cùm sint, latuêre tamẽ sub infirmę carnis cõtẽtu & extremis probris, acsi nõ essent.

7. Describitur in hac inanitione primùm humanæ naturæ assumtio. Ergo oportuit τὴν λαβοῦσαν personam accipientem prius esse. Et quia non erat modò, sed æqualis Deo erat, oportebat eum ab æterno intelligentem, volentẽ, eiusdẽ cum Patre essentię, omnipotẽtię, maiestatis & gloriæ esse. Quæ omnia forma illa Dei & æqualitate cũ Deo, carente omni rapina comprehẽduntur. Deinde si se inaniuit, non oportuit carnem Deitati exæquare: alioqui hoc non fuisset contrario remedio expiare, quod Adam cõmiserat, sed cõfirmare in Adæ carne quod Satã promiserat. Quasi verò cõfirmandorũ Satanę promissorũ causa Filius Dei in mundum venerit, ac non potius vt dissolueret opera Diaboli ex quibus hoc summũ fuit in Adamum instillata æqualitatis cũ Deo affectatio, cuius expiandæ causa Filius Dei sese inanire voluit. Id quod magis etiamnũ docet alter modus inanitionis qui sequitur, finẽ assumtæ carnis ostendens, nẽpe vt humiliãdo se fieret obediens vsque ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis. En infimã humiliationẽ & obedientiã Filij Dei in assũta massa, qua elata illa inobediẽtia Adæ & in ipso nostrũm omniũ plenè expiata est, Rõ. 5. Qui locus cõsentit cũ altero,

Dominũ gloriæ crucifixerũt.1.Cor.2.v.8: Et illo in Actis, Principẽ vitæ occidistis. Neque hæc euertũtur ab eo,quod sequitur, sed magis etiãnum stabiliũtur. Quapropter etiã Deus ipsum in summã extulit sublimitatẽ ac donauit ei nomen quod est supra omne nomen, vt ad nomẽ Iesu se omne genu flectat, cœlestiũ, terrestriũ & subterraneorum,omnisq; lingua confiteatur Dominũ esse Iesum Christum ad gloriam Dei Patris. Eadẽ enim persona Filij (quę sic fuerat inanita occultatione suæ Deitatis sub infirma carne assumta,imputatione nostrorũ peccatorũ,ob eaq; probrorũ & pœnarũ, idque vt dilectionis paternæ fontẽ ab æterno è Filio scaturientem ad nos deriuaret factoque hoc cõprobaret,ac simul iustitiæ diuinæ satisfaceret) rursus exaltata est in eadem assumta massa, ac palàm declarata quòd sit ab ęterno Dei Filius qui assumtione illius massæ & crucis probroin se traducto ita se humiliare voluerit, vt dilectionis paternæ ac simul eius iustitiæ esset executor. Et quia velit dilectionẽ esse æternã, iustitiãque nobis adductã sẽpiternã manere (Daniel.9.)etiã post superata probra recõciliationẽque per humiliationẽ illã factã, æternã esse, ęternã deniq; eius apud Patrẽ memoriã, voluit Pater vt eadẽ persona, quæ ex ęterna sua gloria se demiserat atq; inaniuerat, exaltata rursus in eã gloriã quã apud Patrẽ habebat antequã hic mundus existeret (Ioã.17.)retineret infirmæ illius humiliationis pignus, nõ solùm naturã humanã integrã, sed clauorũ etiã signa:tantũ abest vt in exaltatione rapinã Adæ imitari voluerit aut spoliis

Adæ sese ornare, vt potius per probrũ crucis spolia illa vt anathema cruci secum affigere (Col.2.v.15.) & affixionis illius & anathematismi signa, clauorũ nẽpe vestigia & lateris lãcea aperti, in æterna sua gloria summæ suę humiliationis testimonia gestare voluerit. Videbũt, inquit Propheta, quẽ cõpũxerũt. Zach. 12.v.10. Ioan.19.v.34.37. Ac loquitur Propheta de Iehoua quẽ sint cõpũcturi, nẽpe in massa assũta, ipsi propria, quod testatur Ioãnes & in passione Christi impletũ fuisse, & post gloriosam resurrectionẽ impletionis vestigiũ retinuisse Ioã.20.v.27.28.29. Vtrũq; apud Prophetã obseruandũ; Quia enim est sacerdos in æternum, Patris naturã ex generatione æterna habens, ideoque vnus cum eo Iehoua, ita Patris dilectio plenè in eo residet: 2. nostram quoque, hoc est, fratris naturã semel assumtã atque cõpunctã retinẽs, in fratris summè nos diligẽtis corde eadem dilectio æternam sedẽ figit: atque ita in æternũ fidelẽ habemus Pontificem in omnibus quę apud Deum agenda sunt. Deinde huius dilectionis ex ęterno Deitatis fonte in cor fraternũ manantis testimonia & serpentini morsus vestigia etiã post superatam mortẽ, & conculcatum caput serpẽtis, atque adeo in omnẽ vsque ęternitatem ad ęternam humilitatis suę gloriã & promissionũ diuinarum veritatem celebrandam in propria sua carne, semine, inquam, mulieris vult extare Ioan.20.v.27.28.

8. Cęterùm parari non potuisset salus, nisi persona esset Filius è substãtia Patris genitus

habens sibi vnitā non personā seu hominē (in quē maiestatē suā trāsfuderit eūq; deificarit) sed humanā naturā, etiā hac de causa. quia alioqui non fuisset ęterni Filij Dei sanguis qui effundebatur, & sic nō fuisset satis pręstans sacrificiū ad eluendū crimē lęsæ, essentialis atq; æternę Dei maiestatis, ac per cōsequēs nec satis pręstās ad expiādū reliqua peccata omniū à seculo fidelium, quæ ex illo vno fonte manarūt, & essentialem Dei maiestatē offendūt. Deinde etiam homo, quantumuis diuinis dotibus præditus, non potuisset sustinere, neque etiam vincere peccatum & mortē: sed oportebat ipsummet Creatorem ęternum Dei Filium in humana natura firmissimo ac prorsus indissolubili nexu seu hypostaticè sibi vnita id præstare: prout scriptura vtrūque præstitū esse docet non à persona hominis deificati (qualis Adā fieri cupiuerat) sed à λόγῳ æterno, incarnato, atq; ita essentiali Deo in carne manifestato Ioā. 10. v. 15. & 30. Act. 2. v. 38. Rō. 1. v. 3. & 4. Hebr. 9. v. 14. Col. 1. v. 14. 15. Rom. 9. vers. 5. 1. Ioan. 1. Sanguis Iesu Christi Filij Dei purgat nos ab omni peccato.

9. Cōseruari etiā multo minus posset parta salus, nisi Filio Dei æterno hypostaticè vnita esset & maneret, nō persona hominis, sed humana caro quā assūsit. Etenim quēadmodū ad ineūdū sacerdotiū & parandā plenam satisfactionē requirebatur vt Filij è subsťātia Patris geniti corpus & anima esset in quibus fieret satisfactio, ita vt sacerdotiū sit æternū & ęterna pro nobis intercessio, oportet Filij Dei esse propriā naturā illā humanā, quā sistit in cœlo

coram facie Patris: in qua vt semel sunt expiata nostra peccata, ita perpetuũ est recõciliationis pignus Mat.22.v.44. Et quia regni ęterni hæreditas semini Abrahæ qui est Christus (Gal.3.) est promissa, nõ tãtùm oportuit Filiũ qui ab æterno est hæres (Heb.1.) semel Abrahæ semẽ in vnitatẽ personę assumere, sed etiã in æternũ sibi vnitũ retinere Heb.2.& 10. Adhæc Christus homo efficacia Saluator esse nõ posset, nisi esset Dominus de cœlo 1. Cor.15: i. nisi τῷ λόγῳ in vnitatẽ personę esset cõiũcta humana illa natura, ab eoq; sustentaretur. Nã ab ipso λόγῳ & à Patre procedit Spiritus sãctus, qui nos in possessionẽ Christi inducit, eidem nos inserit atq; ita Filios Dei & cohæredes facit, obsignat in cordibus nostris ęternam remissionem peccatorum, & regenerat nos ad vitã æternam. 1. Cor.15.v.21.45. Rõ.8.v.89. Postremò vt sciremus dilectionẽ, qua nos Pater in Filio gratis adoptauit sepulta peccatorũ nostrorũ memoria, esse constãtẽ, & instaurationẽ ad Dei imaginẽ esse ęternã, ita vt porrò vita æterna excidere non possimus, ipsum λόγον ęternũ Dei Filiũ Patri consubstantialẽ ipsum nimirũ fontẽ, in quo vita erat ab initio (Ioã. 1.) in natura humana assumta in omnẽ æternitatẽ personaliter habitare, nosq; per eundẽ λόγον ei insitos cũ ea vniri oportet, vt sẽper in illo capite censeamur, & de plenitudine eius continẽter hauriamus gratiã pro gratia Ioã.1. Iesai.12. Col.1.3.9.10: denique vt habitatio in nobis per regenerationis gratiam, firma sit tanto fundamento subnixa Col.1.v.15. vsque

ad 20. Rom. 8. v. 37. 38. 39.

10. Personalis hæc vnio facta est in conceptione Christi. Est itaq; personalis vnio in cõceptione Christi assũtio nõ hominis sed humanæ naturæ in vnitatẽ personæ æterni Filij Dei saluis vtriusq; naturæ proprietatib⁹: ita vt licèt vna sit & maneat creatrix, & absq; initio, altera verò sit & maneat creata, ideoq; habeat initiũ: vna sit à Patre per æternã generationẽ, altera sit à nobis in tẽpore assumta: vna sit omnipotẽs quia Deus, altera nõ sit omnipotẽs quia creatura non est Creator (neque duo sint omnipotentes, sed vnus omnipotens:) vna sit & maneat infinita, altera vero non sit infinita, sed finita habens caput finitũ, brachia, pedes, animam item finitam, Luc. 23. v. 43. Psal. 22: licèt, inquã, naturæ hæ sint diuersissimæ & maneant in æternum suis proprietatibus distinctæ, quandoquidẽ Creator in ęternũ vult manere distinctus ab omnibus creaturis, etiã ab illa massa quam assumsit: tamen ita sunt copulatæ vt ambę hę sint vnus Christus. Totũ hoc perspici potest ex conceptione in qua semel perfectè facta est vnio personalis neq; postea vnquam facta est alia Ioan. 1. 3. 14. Heb. 2. v. 16.

11. Cùm igitur fœdus salutis inter Deũ & homines æternũ sit, statuendũ est in persona Christi tanquã in fundamento ita in ęternum esse vnitas duas hasce naturas, vt veritatẽ vtriusque naturę cum suis proprietatibus in ęternũ constare, neutrãque ab altera absorberi oporteat, nisi velimus fœdus ab ipsis fundamentis conuelli atque euerti, Luc. 24. v. 38. 39. Ioann. 20. v. 27. 28.

12. Cur autẽ nõ ſecundum naturæ ordinẽ, ſed à Spiritu ſancto cõceptus ſit Chriſtus, nūc eſt vidẽdū. Vtraq; ſponſionis Chriſti pars id requirebat. Primùm enim vt ſatisfaceret pro omniū electorū peccatis oportebat eū ab omni peccato liberū eſſe. Nā qui ipſimet reus eſt, idoneus nõ eſt qui ſe vadẽ ſiſtat pro aliis. Atqui vt maſſa illa ex virginis ſubſtantia atq; ita ex ipſo Adamo aſſumta(Luc.3.v.38.) libera eſſet à peccato originis, non oportebat eū ſecundum naturæ ordinẽ concipi. Nam quicunque ſecundum naturæ ordinem concepti ſunt, peccarūt in Adamo, ſicut Leui in lumbis Abrahæ decimas perſoluit Rõ.5.v.12. Heb.7. v.9.10 : & corruptionẽ quoque imaginis Dei ſecum afferunt. Etenim de omnibus qui naturaliter ab Adamo ſunt progeniti, ait Apoſtolus: Eramus naturâ Filij iræ, ſicut & alij, & mortui in peccatis Epheſ.2.

13. Deinde quia Mediatorẽ nos renouare oportebat ad Dei imaginẽ, ad quā prius nos condiderat, non tantùm à transgreſſione atque inde ſequuta corruptione, humanam quā aſſumebat naturam liberam atque immunem cõſeruari oportebat, ſed omninò neceſſe erat Deitatẽ viuificā (1.Cor.15.) nimirum τὸν λόγον cū humana natura in ipſa conceptione vniri, quod vtique naturæ ordine fieri nõ potuiſſet. Itaque ipſe λόγος virtute ſui Spiritus è ſubſtātia virginis aſſumit non naturalẽ aliquẽ hęredem Adę, ſeu hominem per ſe ſubſiſtentẽ, ſed naturam humanā in vnitatẽ ſuæ perſonæ. Videmus igitur cur è ſubſtantia quidẽ virginis,

vt esset verum semē & Filius Dauidis, verùm non secundum naturæ ordinem, sed à Spiritu sancto concipi oportuerit Christū Ier.23. Vtrumq; finē iam à nobis adductū allegat ipse Angelus Luc.1. inquiens: Propterea Sanctum quod ex te nascetur, vocabitur Filius altissimi. Sāctificata est massa assumta per Spiritum sanctū, tū quia originali iustitia repleta est: atq; per eūdē Spiritū humana natura diuinæ, id est, personæ Filij copulata est, vt propter hāc personalem vnionē Christus Deus & homo sit vnicus Dei Filius.

14. Non enim ideo quoad humanam naturā Dei Filius est, quòd humana natura ex substantia Patris vel Spiritus sancti originem trahat: neque etiā ideo Filius altissimi vocatur, q̄ Spiritus sanctus secūdū humanā naturā sit, aut etiā dici debeat Pater, (nā secūdū humanā naturam est ἀπάτωρ, sicut ἀμήτωρ secundū diuinā Heb.7.) sed quòd in vnitatē personæ vnigeniti è substātia Patris æterni Filij, humana sit assumta. Ita Christus Deus & homo est vnicus Dei Filius, propter personalē vnionē.

15. Et sanè iustitia & veritas Dei requirebat, vt non ex essentia Spiritus sancti nec ex Angelis, sed è substantia & semine Dauidis, atque ipsius adeò Adami ortum haberet humana natura Christi, secundū iusiurandūPsal. 133. Et 2. Sam. 7. Item Hebr. 2. Neque enim iustitia & veritas Dei ferebant vt in natura alia quàm verè humana ortum & originē trahētc ex illa glebæ terræ, è qua primum hominem Adamum Filius Dei condiderat, tum ipsius Adæ apostasia tum alia inde orta peccata in

ſalutem electorum plecterentur.

16. Vt autem tantum ἀποστασίας crimen in ea expiari in æternum poſſet, non debet nec poteſt humana in Chriſto natura cogitari extra perſonam æterni Filij Dei, à quo ſemel eſt aſſumta, vt antè demonſtratũ eſt. Humanã itaq; naturam in Chriſto nõ rectè poſſe nec debere cogitari extra perſonam Filij à quo ſemel eſt aſſumta, extra controuerſiam ponimus: Et aliud eſſe humanam naturam cogitari in ſe (quia diſtinguitur à diuina) aliud ſeorſim ſeu ſeparatim, quod eſt impoſſibile, tum quia ſeparata ne ſubſiſtit quidem: tum quia ne cogitatione quidem Filius piè & ritè inuocari poteſt à carne quam nunquam depoſuit ſeparatus: quia etſi poſſit, tamen non vult vt integra perſona citra carnẽ ſubſiſteret, poſtquam ſemel eam aſſumſit. Falſum eſt itaque quod aduerſarij dicunt carnem Chriſti conſiderari debere dupliciter: in λόγῳ, & ſeorſim ſeu extra λόγον: conſideratam in λόγῳ, eſſe vbique: conſideratam extra λόγον eſſe vno in loco. Datur enim inſtantia: Caro Chriſti cruci affixa conſiderari certè debebat in λόγῳ, ſed ideo nõ erat tum vbique cruci affixa: extra λόγον conſiderari non poterat, (ne tum quidem cum Chriſtus à Deo ſe derelictum clamaret) quia alioqui Deus proprio ſanguine nos non redemiſſet, Actor. 20. Quod paulò plenius ſic accipe: Filius Dei adeò indiſſolubili nexu integram naturam humanam (non hominem per ſe ſubſiſtentem) ſed ſemen mulieris aſſumſit in vnitatem ſuæ perſonæ, vt non aliter velit agnoſci nec in ſe credi (poſtquam mundo ex-

hibitus est) quam in hoc suo templo quod personaliter sibi vniuit: imò ne ante exhibitū quidē Filiū in carne, credi in eū potuit citra promissionē assumendę carnis seu seorsim vel separatim à carne cōsideratū. Quorsum enim victimæ, si sine promissione mortis, fiducia in Deū recūbere poterat? Quomodo autē mortē Filij intueri poterat fides, nisi directa in Filiū vestiendū nostra carne? Annō Deus ignis consumens est? Si ergo ne tum quidem in eū credi potuit seorsim seu separatim à carne cōsideratū antequā reipsa carnē assumsisset, (sed in promissione quæ carnē complectebatur) multo minus fideli fas erit post assumtam carnem, fidei intuitu λόγον à carne distractum cōsiderare. Et si λόγος qui tamen inde ab initio per se subsistebat, etiam ante incarnationem non aliter quàm incarnandus in promissione fidei oculis considerari poterat, atque ita non citra semen quod erat assumturus: multo minus semen assumēdum & iam assumtum seu humana natura, quę nunquam per se subsistit, nec etiamnum extra λόγον subsistit, separatim à λόγῳ ab vllo fideli considerari potest aut debet. Imò nec Pater nec Spiritus sanctus volunt aliter agnosci, in se credi aut inuocari quàm in Filio incarnato, seu personaliter habitante in templo à se assumto Coloss. 1. & 2. 1. Cor. 1. quod etiam antea typo fuit adumbratum in templo Solomonico Ioann. 2. & 4. 1. Regum 8. Adhæc vt Filius non vult agnosci persona, seorsim ac separatim ab humana, quam assumsit, natura: ita nec persona illa Deus & homo vult agnosci pro capite sine

mystica vnione membrorum cum tota persona per vinculum Spiritus, ideo ecclesia vocatur à Paulo πλήρωμα τοῦ σώματος αὐτοῦ. Ita, inquam, vt Sacerdos & Rex agnosci nolit sine iis quos reconciliauit & sibi habet subditos, atque vt membra vnitos, quos ardentiore etiam amore cóplectitur quàm proprium corpus, quod in vnitatem suę personę assumsit. Nam & nostri causa illud assumsit, assumtum atque tãtæ personæ vnitum in mortem ignominiosissimã exposuit pro mystico suo corpore quod est Ecclesia, vt testatur Apostolus ad Eph. 5.

Ergo tantum abest vt Filium Dei seorsim aut absque carne, postquam eam semel assumsit agnoscamus aut cogitemus etiam, vt ne Pater quidem Filium aliter quàm incarnatum agnoscat, sitque non Patris spiritus, sed Antichristi qui Filium negat in carne venisse: adhæc vt Filium etiam incarnatum Pater non aliter agnoscat, quàm cum suo officio Sacerdotali & Regio, propter ipsius decreti & iuramenti immutabilitatem, ideoque vno intuitu Christum & membra per vinculũ Spiritus ei insita, intueatur, 1. Cor. 12. diligatq; nos dilectione qua Filiũ suũ dilexit Mat. 3. Ioh. 17.

Vide quantum absit vt carnem Christi ab vnitate personæ, à qua semel citra commixtionem aut confusionem assumta est, distractam cogitemus, vt ne nostram quidem ideo à Filio Dei distrahi vnquam posse confidamus, quod illi carni Filij Dei, per Spiritum citra commixtionem etiam aut confusionem sit insita. Quod autem dixi citra commixtionem aut cófusionem, manifestum est ex Psal.

16: Caro enim Christi corruptionem nõ sensit, ideo cũ Dauidis aut nostra carne, quæ corruptionem sentiũt, comisceri non potuit nec potest, licet indissolubili Spiritus S. nexu per gratiã vniatur. Cuius vnionis, non commixtionis respectu fideles dicuntur caro de carne eius, os de ossibus eius, ad Eph. 5: Et ipse, corporis sui saluator: non quòd Ecclesia corpus illud sit quod pro nobis est traditum (alioqui Ecclesia redemisset semetipsam) aut ei permixtum fuerit: sic enim victima non fuisset sancta & pura, si, cùm illa traderetur, nostra caro eius carni fuisset permixta, aut si nostra caro in ipso fuisset sanctificata cùm traderetur, non fuisset necesse illam pro hac tradi: sed propter intermedium Spiritus Sancti vinculum, corpus nostrum, corpus Christi vocatur, cuius ipse in carne assumta est Saluator: quodque magis diligit quàm proprium corpus in vnitatem suæ personæ assumtum. Propter nos enim illud assumpsit propter nos in mortem tradidit, & vt per illud intermedium organum in æternum cum λόγῳ per Spiritus sancti gratiam vniri eiusque ardentis dilectionis participes fieri possemus.

17. Postremò persona hæc λόγος incarnatus consideranda est cum suo officio, atque ita cum vnctione spirituali. Id manifestum est ex Baptismo Christi, cùm ad exequendum suũ munus se accingeret. In Baptismate enim fuit Christus solenniter vnctus seu repletus Spiritu sancto: antea autem dicitur creuisse sapientia & gratia coram Deo & hominibus,

etiamsi conceptus fuisset à Spiritu sancto. Ergo plenitudo illa Spiritus quam in Baptismo accepit non est simpliciter è personali vnione, sed pertinet ad officium ad quod se accingebat post Baptismũ. Et de hac repletione Spiritus loquitur Euangelista: Ascendit ex aqua plenus Spiritu sancto (qui venerat super eum in specie columbæ.) Et de eadem Ioannes Baptista: Huic non admetitur Pater Spiritum ad mensuram. Estque hæc vnctio cùm totius personæ ordinatio seu obsignatio solennis à Patre per Spiritum sanctum facta, quòd Pater per huius meritum & efficaciam seruare velit electos Ioann. 6. Hunc signauit Pater: tùm sanctificationis plenitudo seu spiritualium donorum complementum, quæ etsi in vtero carnem ab omni macula puram seruarent, non tamen ea copia erant collata, quin quotidie cresceret sapientia & gratia, donec officium suum aggressurus plenè iis instrueretur. Propterea de initio & complemento loquitur Daniel: Vngetur Sanctus sanctorum ad adducendum sempiternam Iustitiam, ad obsignandum peccatum, ad tollendum præuaricationem. Ergo is qui est ab æterno Sanctus sanctorum, in carne manifestatus Spiritu sancto vngitur, hoc est tota persona ordinatur ad officium regium & sacerdotale: & simul donis ad id exequendum necessariis, quo ad carnem locupletatur.

18. Quamobrem omnia quæ in salutem nostram passus est λόγος incarnatus, & quęcu-

que in reliquis articulis fidei ſequentur, tum ex dignitate huius perſonæ, quæ eſt vnigenitus Dei Filius, tum ex veritate vtriuſque naturę, tũ ex officio ad quod ſecundũ vtráque naturam Mediator ordinatus eſt, æſtimanda erunt Actor.20.v.28. Actor.3.v.25.26. Matth.3.v.17. Zach.11.v.13. Mich.5.v.2.

19. Cauendum autem ne in perſona Chriſti erretur: qualis error ille eſt, quòd Deus qui in perſona Filij carnem aſſumit, eam aſſumendo omnes proprietates ſuas in carnem transfuderit. Deus eſt ignis conſumens ait ſcriptura ad Hebr. 12. verſu 29. Iam ſi Deitas effudit omnem ſuam maieſtatem in carnem, certè caro quæ vt fratris caro ſolatio nobis eſſe debebat (& λόγος ipſe in carne ſe humilians) terrori nobis erit, adeò vt ipſa etiam caro iam nobis ignis conſumens ſit. Sin verò tota Mediatoris perſona inter Deum & nos poſita eſt media, vt conſumentem illam Dei iram in ſe deriuaret, certè tantum abeſt vt λόγος Deus maieſtatem conſumentem in carnem transfuderit, vt econtra eam ipſam ob cauſam carnem aſſumſerit, vt per carnis aſſumtionem primò, deinde ad mortem vſque ſe humiliando ardorem ignis illius ſolus extingueret, qui ſolus ab eo propter ſummam (tantæ perſonæ) deiectionem conſumi non poterat, ſed effectum ardoris in ſe recipiendo, nobis eum conſumeret, qui hoc Mediatore freti ad Deum accedimus. Hoc reſpectu Chriſtus etiam ait, ſe eſſe viam, veritatem & vitam; neminem venire ad Patrem, niſi per ipſum. Et Petrus aptiſſimè ait, Nos per Chri-

ſtum in Deum fiduciam habere. Qua de re elegãter Auguſtinus libro 11. de Ciuitate Dei cap.2.qui de fidei ſcopo differens,ſciendũ eſſe tradit,quò ſit eundum,& quà : tum continuò pòſt colligit, munitiſſimam aduerſus omnes errores viam eſſe eundem Deum & hominem.Deum enim eſſe quò tendimus, hominem quà imus : vtrumque autem non niſi in Chriſto inueniri.Et quia hæc auerſio iræ Dei æterna eſt, oportet Mediatorem ne in ipſa quidem gloria transfundere vim conſumentem in ſuam carnem:Ideo Apoſtolus de ſtatu Chriſti poſt glorificationem differẽs ait,Nobis per velum carnis ſuæ dicatam eſſe viam recentem per ſanguinem ipſius,Item ad Heb. 6.in fine, Fidem noſtram anchoræ confert ingredienti intra velum quo præcurſor noſter Chriſtus pro nobis ingreſſus eſt:anchora certè præcurſori qui nil niſi ignis conſumens eſſet infigi tutaſque à procellis conſcientias reddere non poſſet:quod certè foret, ſi proprietates Deitatis in carnem eſſent transfuſæ. Ideo propter ignem illum conſumentem nemo præter ſummum Pontificem Sancta Sanctorum ingredi audebat:nec ipſe Pontifex ſine ſanguine pro ſuis & populi delictis:qui interpoſitus medius ardorẽ arceret: ideo etiam poſt exaltationem tempus reditus Chriſti in carne, tempus refrigerij vocat Petrus Act.3. Ita Chriſtus verè pellicanus noſter eſt rigans nos ſuo ſanguine, & phœnix vna in mundo, quæ proprio incendio conſumitur : nec à morte abſorbetur,ſed eam abſorbet Hoſ.13. 1.Corinth.15.

ARTICVLVS IIII.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus.

1. VIDEAMVS nunc quemadmodum vtramque sponsionis suæ partem præstantissima hęc persona Deus & homo impleuerit. Prima sponsionis pars erat se satisfacturum pro peccato omnium electorũ à condito mũdo Ioann. 11. v. 51. 52. Et cap. 17. v. 6. 9. 19. Debebamus autem omnes coram iusto Dei iudicio ferre maledictam mortem in anima & corpore cum æterna ignominia. Causa prima erat: quia omnes in Adamo peccauimus. Secunda, quia etiam corruptio iusto Dei iudicio inde secuta peccatum est. Tertia, quia illa totius naturæ nostræ corruptio profert in nobis infinita peccata, quæ sunt non modò cogitationes, dicta, & facta contra Legem Dei, sed etiam omissio iustitiæ quæ in Lege Dei mandata est. Itaque Christus sponsor, vt eiusmodi satisfactionem Patri exhiberet pro crimine læsæ maiestatis diuinæ, omnibusque aliis inde manantibus peccatis, quæ nobis esset plena iustitia coram ipsius tribunali, passus est sub Pontio Pilato iustus pro iniustis, crucifixus, mortuus & sepultus descendit ad inferos. Quod iam per partes explicandum

est. Et

est. Et quidem ab occasione sententiæ mortis primùm à Sacerdotibus decretæ, deinde à Pilato latæ faciendum initium. Ea est confessio Christi quòd se Filium Dei benedicti confessus esset. Etsi enim varia antea in suo consistorio tentassent, ac deinde coram Pilato, tamen in eo vno tandem acquiescunt ad decernendum mortis sententiam, quòd adiuratus Filium Dei se esse confessus esset, Matth. 26, Adiurationem summi Sacerdotis arcano Dei instinctu factam esse dubium non est. Finis, vt sterneretur via, & occasio daretur ferendi sententiam aduersus Filium Dei, quasi rapuisset ad se, quod tamen non rapuerat, æqualitatem cum Deo Patre: vt quod Adam & omnes in Adamo rapuerant, nempe vt Deo fierent æquales, persolueret, Philipp. 2: Cum esset in forma Dei non duxit rapinam æqualem esse Deo, & tamen inaniuit se formam serui assumens, & factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et in Psalmo 69. v. 5. Quæ non rapui, exolui. Ergo Christus confitendo se esse Filium Dei benedicti in secula, atque ita etiam Deum benedictum in secula ad Rom. 9, vnius cum Patre essentiæ, non fecit id quod Adam conatus erat (nā sic se obstrinxisset reatu, non nos exemisset) vt humanitati suę adscriberet diuinas proprietates deitatis, quę in Deo sunt ipsa essentia (sicut calūniabātur Sacerdotes, ideoque intuentes eū vt hominē tantùm, condemnant eum, quasi humanitati suæ adscripsisset diuinitatē): sed propter alterā in se naturā, quę ab

ęterno à Patre totius substantię cōmunicatione est genita, quęq; humanā in qua vnctus est, & Christus Domini declaratus, assumsit, verū & naturalem Dei Patris Filium & Christum se esse confessus est, vtramque naturam complexus: prout & Pontifex adiurando complexus fuerat, nempe λόγον incarnatum. Nam si non esset λόγος, non esset Filius ille Dei benedicti: si non simul homo, vnctus Spiritu sancto esse non potuisset, de qua vtraque re Pontifex quæsierat: λόγος enim solus qui eiusdē est cū Spiritu essentiæ, qui spiritu non vngitur, aut eius dona accipit. Confessio itaque Christi tam coram Sacerdotibus quàm coram Pilato occasionem talem patiendi & moriendi præbebat; qualem nostri liberatio requirebat.

Passus sub Pontio Pilato.

2. Finis est vt crimine læsæ Maiestatis diuinæ ab Adamo patrato, cuius & nos eramus rei, omnibusque peccatis in de secutis semel à Deo ipso iudiciū exercēte condēnatis & summo iustitiæ rigore punitis in Filio se è summa Maiestate demittente, omnis eorum memoria aboleretur coram Dei tribunali. Etenim cùm ad cœlestis iudicis tribunal sisti nos oporteret, ibique condēnari in propriis peccatis, Filius autem Dei peccata atque reatum nostrum in se transtulisset, quò sacrificiū propitiatoriū esset, tanquam Maiestatis reum, ac summū peccatorē velut in nostra persona ad tribunal Dei (Dei enim iudiciū est, inquit Iosaphat) sisti, atq; à Deo ipso exercēte iudiciū per

Pilatum

Pilatũ licet aliud cogitan̄tẽ, condẽnari oportuit: ac simul testimoniũ dari à Deo ipso per os Pilati eius innocentiæ, quò omnibus constaret propitiatoriæ victimæ sanctitas. Ad Deum ipsum huius grauissimi iudicij præsidem attollendas esse mentes testantur hi loci Matth. 26. v. 39. Esai. 53. v. 6. & 10. Rom. 8. v. 31. 32. 2. Cor. 5. v. 21. Actor. 4. v. 28. Ioann. 8. v. 24. Psal. 69. Ioann. 18. v. 1. & 11. Et 19. cap. v. 11.

Crucifixus.

3. Cur autem Christus non modò forma iudicij, sed nec alibi quàm in cruce voluerit fieri victima propitiatoria, sicut 1. Petr. 2. dicitur: Tulit peccata nostra super lignum: rationem hanc tradit scriptura: Quia eiusmodi forma mactationis seu oblationis requirebatur, quæ fini esset accommodata, satisfactioni, scilicet pro nostris debitis. Debebamus autẽ Deo mortem non vulgarem, sed cum maledictione coniunctam & extrema ignominia, idque ex lata à Deo in Lege sua sententia. Cùm igitur mors crucis maledicta esset nō tantùm hominũ iudicio, sed etiam cœlestis iudicis sententia, Maledictus omnis qui pendet in ligno: Christum vadem nostrum hanc mortẽ subire oportuit, vt satisfaciendo nos à maledictione eximeret, eiusque memoriã in æternũ deleret. Itaq; Paulus admonet Christũ maledictionẽ Legis à nobis sustulisse dũ pro nobis in cruce factus est maledictio, vt Abrahæ promissa benedictio ad nos perueniret Gal. 3. Itaque è cruce tanquã maledictionis symbolo intelligimus omnẽ maledictionẽ quã sentire debebamus,

in Christum fuisse traductam. Sicut enim nos maledictionem & iram Dei tã in anima quàm in corpore verè sentire debebamus ex Legis sententia : ita & Filium Dei tam in corpore quàm in anima sua verè eã sentire eaque conteri oportuit, vt vera esset pro peccatis nostris hostia, vt loquitur Iesaias cap. 53. Hinc illa vox, Deus meus Deus meus cur deseruisti me? Matth. 27, & Hebr. 5. Etenim quia nos non solùm corpore, sed anima vel imprimis peccauimus, (corpus enim non agit nisi actũ) ideoque maledictionem Dei in animam nostrã vel imprimis accersiueramus, necesse fuit ad liberationem nostri sponsorem nostrum Christum coram iusto Dei tribunali non in corpore solùm, sed in anima vel imprimis maledictionem nobis incumbentẽ sentire: quiescente nempe λόγῳ, vt veteres loquuntur, quò perfectè satisfieret iustitiæ Dei. Verè enim nõ imaginariè Christum maledictionem nostrã sensisse, vt verè sentiẽdo verè satisfaceret, negare nõ possumus, nisi ipsum verè nos ab ea liberasse negare velim'. Et in toto illo maledictionis diuinę sẽsu nihil fuit admixtũ diffidẽtiæ aut vllius peccati: Etsi enim verè sẽtiebat, vt voce sua testabatur se ad tẽpus à Deo deseri, (quod ad sensum nostrę maledictionis referendũ est): fiduciam tamen in Deũ firmã & nullo modo labefactatã habere nõ desiit, licet eã quã humana natura sentire solebat cõsolationẽ à diuina atque adeò lętitiã, tum minimè sentiret. Fiduciã enim incõcussam testatur vox illa repetita Deus meus, Deus meus: qua Deũ suum vocare non desinit, à quo secundum na-

turæ humanæ sensum se desertum queritur.

4. Qui hunc diuinæ maledictionis sensum in morte crucis, quæ ore Dei maledicta erat ad victimam propitiatoriam necessarium fuisse non animaduertunt, ij nec magnitudinem peccati expendunt, nec magnitudinem gratię & dilectionis Christi ea qua par est admiratione suspiciunt, ideoque nec mirũ si nec peccatis mortui iustitiæ viuãt, cùm tãtæ maledictionis sensu eorũ expiationẽ Christo constitisse ignorent 1. Petr. 2. v. 24. Nisi, inquam, id animaduertamus, quantum sit malum peccatum, haudquaquam intelligimus: ideoque nec magnitudinẽ mali quod in nobis est intelligimus: quamobrem à Satana excæcati ad alia remedia confugimus frustrà, quæ tanti mali sanationi haudquaquã paria sunt: itaque nihili satisfactiunculis inhęrẽtes, à Satana delusi, in peccatis nostris contabescimus. Quò respiciẽs Diuus Petrus morti quam Christus in ligno pertulit subiungit sanationẽ, idque ex ore Iesaię. Quasi dicat: frustrà in re vlla alia sanationem quæri: ideoque disertè ligni mentionem facit, maledictionis nimirũ symboli, vt ostenderet magnitudinem mali tanti precij remedium exegisse.

5. Denique qui hæc de crucis maledictione ignorãt, nesciunt Legẽ & Euangeliũ. Nesciũt quàm sãcta sit Lex Dei, dũ Christ' tã diris cruciatibus nõ externis modò, sed internis in ipsa anima (Dicit enim, Tristis est anima mea vsq; ad mortẽ) eius trãsgressionibus medetur Heb. 5. v. 7. prout venerat nõ ad eã soluendã sed sta-

briendã. Euãgeliũ ignorãt, quàm lętus sit nũcius, à tãta maledictione ab vtero matris allata & trãsgressione Legis innumera in animã & corpus accersita, plenè liberatũ esse. Quã gratiã prædicatio crucis, in qua moriẽdo nostrã maledictionẽ omnẽ in se trãstulit, nobis quotidie offert, de qua Apostolus 1. Cor. 1. v. 21 vsq; ad 25. Et cap. 2. palàm profiteri audet, nõ iudicasse se quicquã scire inter Corinthios nisi Iesum Christũ & hũc quidẽ crucifixũ. Quã clausulã nõ sine grauissima causa addit; quasi diceret, cardinẽ totius glorię nostrę in illo genere mortis versari, quod vt remediũ directè omni maledictioni tollẽdæ erat oppositũ; quantũuis sapiẽtię carnis videretur stultũ atque adeò infirmũ, elucet tamen in eo & infinita Dei sapiẽtia cõiuncta cũ iustitia, & infinitũ, ad tollendã maledictionẽ, robur idque ideò quòd is qui maledictionẽ in hoc mortis genere in se suscepit, nõ tantùm quoad carnẽ plenitudinẽ benedictionis accepit, verũ etiã quatenus est λόγος incarnatus omnis benedictionis fons est & scaturigo. Quò respexit Spiritus S. in illo loco Pauli 1. Cor. 1. v. 25 de morte crucis loquẽs: Nos autẽ prædicamus Christũ crucifixũ Iudæis quidẽ offendiculũ, Græcis verò stultitiã: ipsis autẽ vocatis tũ Iudæis tũ Gręcis Christũ Dei potentiã & Dei sapientiã. Nã quod stultũ est in Deo sapiẽtius est quàm homines. Videmus eũ sapiẽtiã & robur; quę effulgẽt in morte crucis, omniũ hominũ sapientiæ & robori anteferre, ideo quòd nõ solùm Dei consiliũ sapientissimũ intuetur & firmissimũ, verũ etiam quòd Christũ ipsum crucifixũ, quẽ præcedẽtę

versu Dei sapientiã & potentiã nominarat, verũ, sapientẽ & potentẽ Deũ esse cõfirmat. Vnde fit vt mors illa, quam per cõcessionẽ stultã vocat & infirmã, in Deo sapiẽtior & validior sit omniũ hominũ sapientia & robore, quæ in vnũ collata ne vni quidẽ peccato eiusq; malodictioni tollẽdæ vllũ vnquã afferẽt remediũ.

6. Hac gratia verè stabiliũtur corda quæ ab omni maledictione libera sunt reddita, ad Heb. 13. Bonũ est gratia stabiliri cor, nõ cibis quibus nõ sunt adiuti qui in ipsis versati sunt. Habemus altare ex quo nõ habent ius edendi qui tabernaculo deseruiunt. Quorũ enim animaliũ sanguis infertur pro peccato in sacrariũ per Pontificẽ, horũ corpora exurũtur extra castra. Quapropter Iesus vt sanctificaret populum per proprium sanguinem passus est extra portam. Ratio autem cur fas non fuerit edere de illis, est quia populi peccata & maledictio iis erant imposita, Leuit. 5. & 6. cap.

Mortuus.

7. Quia Christus mortuus est certum est, Deũ fuisse memorẽ omniũ nostrorũ peccatorũ in Mediatore, dum morte ea multauit, vt promissionẽ hanc fœderis seu testamẽti sanciret omnẽ peccatorũ nostrorũ memoriã esse abolitã. Quæ enim maior potuisset esse eorũ memoria, quàm dũ propter ea sanctissima anima Filij Dei à suo corpore summis cruciatibus verè separatur atque diuellitur, hoc est dũ Deus ipse moritur quoad carnẽ siue in humanę, quã assumsit, natura? Quę etiã maior huius testamẽti cõfirmatio esse potuisset de certa re-

missionepeccatorũ quàm mors ipsius Dei, nẽpe Filij incarnati in quo & per quẽ testamentũ promissum atque cõditũ erat, Gal. 3. v. 28. Etsi enim alia fœdera morte dissiliunt, hoc tamen æternum fœdus in eo testamentis est simile, quod morte interueniente confirmatur: idque propter immutabilẽ Dei iustitiã quæ omnia & singula peccata punit vel in nobis (nisi fide reconciliemur) vel in Filio pro nobis. Et quæ non fert vt detur Spiritus sanctus sine interueniente reconciliatione. Huc pertinet locus ad Hebr. 9. v. 16: Vbi testamentum est, mors testatoris intercedat necesse est. Testamẽtum enim in mortuis ratum est, quandoquidẽ nõdum valet dum viuit testator. Quamobrem quàm est certum testamẽtum morte Filij Dei esse confirmatum, tam est certum ipsius animam & corpus verè distracta & separata ab inuicem summis cum doloribus fuisse, nec testamentum confirmari potuisse si anima in corpore mansisset, aut maiestatis ratione corpus & anima vbique fuissent.

8. Et quia testamentum de abolenda memoria peccatorum & renouatione nostri ad hæreditatem cœlestem æternum erat, oportebat ipsum testatorem Filium qui ab æterno hæres est (Hebr. 1.) morte sua id confirmare, adeoque victimam virtute suę Deitatis æterna vi perfundere. Ideò Paulus ad Heb. 9. v. 14. 15. oblationem sui ipsius per Spiritum æternũ, & confirmationẽ promissionis ętemę hęreditatis ibidem coniũgit. Persona igitur quæ dat propriũ corpus ab anima sua distrahẽdum, est

æternus

æternus Dei Filius, vnde teſtamentum æternum vim accipit. Et hoc eſt quod Paulus ait: Obtulit ſe per Spiritum æternũ. Neque enim perſona hominis per ſe ſubſiſtentis eſt teſtator, (ſic enim finitus eſſet teſtator, & vim infinitã teſtamento dare non poſſet) ſed eſt perſona τῦ λόγυ incarnati.

9. Neceſſe eſt etiam confirmationem hãc æterni teſtamenti ſeu fœderis eſſe vnicam, cùm omnes aliæ victimæ à confirmatione excludantur ad Hebr. 9. verſ. 9. vnicam, inquam, eſſe oportet & quidem ſummè gratam Deo cum tot millium victimarum propitiatoriarum morte ne vnum quidem peccatum expiari potuerit, ſed teſtarentur duntaxat de ventura hac confirmatione. Neque enim mactationes illæ in ſe retinebant Iſraëlitas tam ipſæ quàm annexæ promiſsiones, ſed ad mortem Filij Dei ſuos amandabant cultores qua ſola æternum teſtamentum confirmandum erat Pſalm. 40. Hebr. 10. Pſalm. 50, & 51. Quod lex requirebat ex propriis viribus, & mortem æternam minabatur tranſgreſſoribus, id pecudum ſanguine confirmatum fuit, quo populus & liber legis aſpergebatur: nec mirum: Chirographum enim etiam re vili poteſt dari & neutiquam magnitudini debiti reſpondente, imò ſi reſponderet non Chirographum ſed pretium eſſet ad Coloſſ. 2. At confirmatio non legalis illius, ſed gratuiti fœderis æterni de abolita memoria peccati & inſcriptione legis in corda, &

ipsissimet Chirographis affigendis cruci, longè præstantiore precio indigebat, cuius nempe meritum & magnitudini debiti responderet, imò superabundaret, & efficacia in æternum quod promissum erat præstare posset, plenam nempe innouationem ad Dei imaginem, & cum ea coniunctam hæreditatem cœlestem ad Heb.10.

Sepultus.

10. Sepelitio hæc est pars humiliationis Christi. Est enim continuatio seu progressus mortis: forma eius describitur à Ioanne cap.19.vers.38.39.40.41. his verbis: Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph &c: Ergo quemadmodum mors, ita & eius progressus sanctionem testamenti in se continet Rom. 6.v.3.4.1.Cor.15.v.2.3.4.

11. Tantum igitur abest vt ad testamenti sanctionem requisita fuerit omnipræsentia corporis & animæ Christi, vt ne suo quidem corpori animam præsentem, sed ab eo distractam & absentem vsque ad tertium diem esse oportuerit. Quia mortem qua confirmari voluit testamentum tamdiu secundum scripturas oportuit continuari. Et tamen ne tum quidem soluta fuit personalis vnio, licèt anima à corpore verè fuerit diuulsa, & anima non fuerit vbi corpus nec corpus vbi anima, & neutra in omnibus locis vbi Deitas: imò si hæc fuissent, testamentum eo modo quo Deus

decreuerat,

decreuerat, & per Prophetas adeoque ipsum Dei Filium testatorem prædixerat in declaratione typi Ionæ, nempe morte in tertium vsque diem se extendente, confirmatum neutiquam fuisset: atque ita essemus adhuc in peccatis nostris & hæreditate cœlesti exclusi.

12. Et tantum abest vt commixtio carnis Christi cum nostra carne sit causa nostræ resurrectionis, vt contrà hæc commixtio ipsam dignitatem sepulturæ Christi & carnis Christi resurrectionem euertat. Nam si cum nostra commixta resurrectionem nostram efficere debet, nostra autem corrumpitur in sepulchro cui Christi caro permixta sit, quomodo constabit illud de ipsius sepultura & resurrectione testimonium: Non permittes sanctum tuum videre corruptionem: quam si videret, Sanctus Sanctorum, vt Daniel eum nominat, non esset, ideoque nec ipsa caro Christi incorrupta excitaretur, multò minus alios excitaret, quæ ne seipsam quidem excitauit, sed à λόγῳ excitata est. Nam quòd ipsius caro seipsam non seruarit immunem à corruptione, nec semetipsam è morte eripuerit, manifestum est ex eo quod ait: Non permittes: quod de Deitate dictum esse totus Psalmus euincit.



ARTICVLVS V.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

1. DESCENSVS hic est infimus gradus humiliationis Christi, dũ nimirum post sepelitionẽ tanquã à morte oppressus in tertiũ vsque diem iacuit. Act.2. ait Petrus: Quem Deus excitauit solutis doloribus mortis, eo quòd impossibile esset, ipsum ab ea retineri. Primò dolores mortis sunt citra controuersiam dolores illi extremi corporis & animi quorum paulò antè facta est mẽtio, cùm de maledictione Dei ageretur quam in morte crucis sensit Dominus, & de hac significatione descensus ad inferos habes 1.Sam.2. vers.6. Psalm.29. vers.4. & Psalm. 49. vers.15.

2. Deinde cùm addit Apostolus Petrus fuisse tum solutos illos dolores mortis cùm Pater eum excitauit è morte, coniungit statum illum qui dolores mortis est secutus cum ipsis doloribus. Quid ita? Quamuis enim corpus in sepulchro iacens omnis doloris, atque adeò sensus expers esset, cum verè & certò Christus mortuus sit: tamen cùm mors ipsa quæ in sepulchro continuabatur nihil aliud esset quàm ipsorum cruciatuum ac dolorum velut dominium (nam mors verè ei dominata est ad tempus, Rom.6.)

Roman.6.) Christus Mediator dicitur tum demum dolores illos mortiferos superasse, cùm mortuus mortem vicit. Ergo cùm certum sit Petrum de extremo gradu humiliationis Christi ibi agere, in quo statu inferorum Deus non sit derelicturus animam Christi, mortis doloribus solutis, sequitur descensu eius ad inferos extremum gradum humiliationis Christi contineri in quo Pater noluerit eum relinquere, nempe, mortis dominium, siue extremam illam ignominiam, dum in sepulchro in tertium vsque diem retentus tanquam à morte oppressus iacuit.

3. Quemadmodum autem in tota humiliatione Christi Deitatis suæ gloria sub carnis velo emicuit, ita & in extremo humiliationis gradu. Itaque nil obstat quo minus permittente λόγῳ dominium morti cum extrema ignominia in propriam humanitatem in tertium vsque diem, Deitate interim sua seu spiritu (quo eodem tertio die viuificatus est, 1.Petr.3.vers.18.) ad spiritus, hoc est, animas eorum qui carne quidem iudicati erant secundum homines, vt spiritu viuerent Deo penetrarit 1.Petr.4.v.6, vt vis mortis suæ ipsis innotesceret., nulla omnino facta naturarum in ipsius persona diuulsione. Nam quamuis toto eo tempore anima à corpore fuerit separata ac loco distincta (quando reipsa corpus iacebat mortuum & sepultũ) λόγος tamẽ qui est infinitus nec à corpore nec ab anima quæ semel in vnitatẽ suæ personæ assũpserat, separatus erat, quin ea proprium templum τοῦ λόγου

manerent; ſicut ipſe ait, Deſtruite templum hoc, & ego triduo erigam illud. Cuius vnionis haudquaquam diſſolutæ reſpectu Angelus non veretur dicere: Videte locum vbi Dominus iacuit: prout nec veretur dicere, Dominium poſt reſurrectionem in ſepulchro non eſſe, verum nimirum corpus quod mulieres quærebant conſiderans, quem antea ſecundum idem illud corpus, ibi iacuiſſe faſſus erat, anima vtique tum temporis à corpore ſeparata: Domino tamen templi, ſeu λόγῳ minimè ſeparato nec à corpore nec ab anima. Salua itaque manente vnione perſonali ignominia exciſionis & ſummus contemptus in totam perſonam redundauit, ac triduo illo durauit, vt plenè impletum ſit illud Danielis, Excindetur Meſsias, & non erit ei adiutor.

4. Habemus nunc quomodo ſponſor noſter priori ſponſionis ſuę parti ſatisfecerit: tum etiam quemadmodum impletionem alterius partis inchoârit, qua ſpopondit effecturum ſe vt deſinamus tandem peccare, ſiue vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus, vt 1. Petr. 2. dicitur. Vtrumque melius intelligetur vbi formam & ſcopum tantæ humiliationis attentè conſiderauerimus, tum duplicem qui ex ea manat fructum. Forma autem eſt ſacrificij propitiatorij cum interceſſione oblati. Finis ſatisfactio ſeu propitiatio & vnio cum ſemel oblata victima. Ad formã verò ſacrificij propitiatorij requiritur mandatũ

personæ impositum (Ioan.6.Quem pater signauit.Et Psal.110. Hebr.10.) spontanea erga id obediētia (Ioan.12.) vnà cum intercessione vt à Patre nobis accepta feratur illa obediētia (sicut orat: Ego sanctifico meipsum pro iis) & detur Spiritus Sanctus, quo & Christo fide vnitis ex ordine sapientiæ & iustitiæ diuinæ nobis accepta ferri possit, & nos etiam nobis imputari verè sētiamus, sicut ait: Sāctifica eos Pater in veritate tua. Item: Vt vnum sint nobiscum sicut ego & tu vnum sumus. Quæ omnia in oratione summi nostri Sacerdotis iam se oblaturi pulcherrimè expressa sunt Ioann.17. vers.4.6.7.8.9.10.13.17.18.19.20.21.vsque ad 27.versum. Formalis itaque causa & scopus superiorum proximorū articulorū est; quòd eo pacto Filius Dei incarnatus semel se in victimam propitiatoriam onustam omnium electorum peccatis obtulit, vt iis nihil reliquūm sit quàm æternus & cōtinuus tenor Dei misericordię cū sanctitate cōiūctę. Nullus autem rigor iustitiæ, nulla in personā ira (quæ perfectè in omnem æternitatem placata est) ipsis porrò sit expectanda Psalm. 89. Iesai.54.

5. Offerre enim se in victimam propitiatoriam (quod Filius Dei semel eo quo diximus modo peregit) est omnium pro quibus se offert tam defunctorum quàm viuorum peccata omnia nullo excepto in se traducere: atque ita se sistere omnium illorum reum ac debitorem: ideoque se sistere coram iusto Dei tribunali, vt in se

effundātur omnes maledictiones legis atque omnes fluctus & tēpestates irę Dei ipsius cor feriant, fiat denique maledictio, sitque à Deo ad tēpus derelictus in summa ignominia, donec pro peccatis eorum, pro quibus se offert plenè sit satisfactum cum humilima deprecatione vt Pater sit propitius, oblationē acceptet à se & det Spiritum sanctum ipsius nomine Iesai. 53. ad 12. vers. vsque. Gal. 3. 2. Cor. 5. Rom. 8. v. 3.

6. Atque ita hostia propitiatoria est donum quod sistitur diuino mandato reum coram Deo, ita vt traducantur in illud non soluta peccata omnium à seculo fidelium tam viuorum quàm defunctorum, & merita maledictio cum seuerissima executione ad sudorem vsque sanguinis & mortem crucis, coniunctam cùm summis tum corporis tum animi cruciatibus, sensu nimirum horrendæ iræ Dei cum extrema ignominia. Vnde sæpè Apostolus Paulus indiuiduo nexu coniungit hæc duo sæpius offerri, & sæpius pati; si Christus sæpius offerretur, oportuisset eum sæpius pati à condito mundo, Hebr. 9. v. 28.

7. Quod autem in definitione dicitur, & formam & scopum hostiæ propitiatoriæ esse satisfacere pro peccatis quæ nondum persoluta sunt, ideoque ea traducere cum ira Dei in victimam quæ offertur seu rea sistitur, hoc adeò verum est vt Paulus non vereatur dicere, si per legem est iustitia (hoc est si per legem satisfit pro peccatis) Ergo Christus frustrà mortuus est. Nam finis atque scopus victimæ

ctimę propitiatorię seu mortis Christi est satisfacere pro peccatis atq; ita cōparare iustitiam soluto precio. Qui scopus si aliunde haberi potuisset aut etiamnum posset, Christus frustrà fuisset mortuus.

8. Hæc est causa cur typica sacrificia propitiatoria, quę nūc vnica hac victima sunt abolita, sæpiùs iterari oportuerit ad arguendū eorum imbecillitatē seu impotētiā. Quia iteratio ostendebat non esse solutionem pro peccatis, sed quia absque effusione sanguinis fieri non poterant, & tamen ea sæpiùs iterari oportebat Chirographa esse peccatorū Col.2.

9. Et cùm essent simul typi & vmbræ venturæ solutionis, nō ipsum preciū, hoc est vmbræ eius victimę, quę sola re ipsa, nō imagine seu typicè irā & maledictiones Dei in se deriuare debebat: hoc cùm præstare nō possēt, nō poterant etiā auferre cōscientiā peccati, aut si præstitissent desiissent offerri seu iterari (vtpote precio soluto) prout Christ⁹ sępiùs offerri moriq; desiit Col.2. Heb.9. initio ca. Rō.3.

10. Ex tot testimoniis quę vnicā hāc victimam promittebant manifestū est quantæ dignitatis sit res testata. Necesse est, inquā, vnicā illā voluntariā oblationē Filij Dei pro nobis rem esse absolutissimā, cùm de nulla re tot extēt prophetiæ, tāq; euidentes, adeò vt nulla abiret dies, quin ea in typo velut visibili prophetia, iugi nimirū sacrificio, manè & vesperi promitteretur. Ergo cū iā oblatio tot modis promissa & expectata, impleta seu cōsūmata sit per Iesū Christū, sicut in cruce ait, Cōsum-

matũ est; isq; vnica illa victima sui ipsius Col.
2. in cruce pro peccatis omnium pro quibus cũ
intercessione eã obtulit, satisfecerit, adeò nul-
lum amplius requiritur opus satisfactorium
pro peccatis ab vllo nostrũ, vt ne ab ipso qui-
dẽ Dei Filio requiratur. Ideo Paulus ad Heb.
c.10.v.12.13.18 ait: Hic vna pro peccatis obla-
ta victima sine interruptione sedet ad dexte-
ram Dei, id quod superest expectans donec
inimici eius scabellum pedum eius fiat. Vnica
enim oblatione consecrauit in perpetuum eos
qui sanctificantur: Testificatur autem nobis
ipse Spiritus Sãctus. Nam posteaquàm prædi-
xit, Hoc est fœdus quod paciscar cum iis post
dies illos dicit Dominus, indam leges meas
cordibus eorũ, & eorũ mentibus eas inscribã,
& peccatorũ ipsorũ nõ recordabor amplius:
Porrò vbi est horum remissio nõ est amplius
oblatio pro peccato. Concludit Apostolus:
Cũ in nouo fœdere seu testamento peccata &
maledictio semel sint traducta in Filij Dei vi-
ctimã pro peccatis, atq; morte ipsius expiata,
ideoq; perfectè soluto precio cõfirmata sit no
ui testamenti promissio, peccatorũ eorũ me-
mor nõ ero amplius: certũ est ex forma testa-
mẽti morte confirmati (Heb.9.v.10. Et Heb.
10.v.12.) nullã in æternũ amplius requiri obla
tionẽ pro peccato: quia scilicet maledictio sit
sublata & peccatorũ memoria deleta per ob-
lationẽ Christi in mortẽ. Cùm igitur nõ sit re
liqua maledictio aut peccatorũ memoria quæ
op' sit denuo in victimã traducere, eáq; siste-
re reã, vt pro iis puniatur ac cędatur, ideò nul-
la ampliùs restat oblatio pro peccato, imò vt

mortem testatoris iterari impossibile est, ita etiam fieri nō potest vt testamentum ea confirmatum oblatione vlla indigeat, seu vt confirmatio testamenti iteretur. Atq; ea est vitæ cōditio, in quam post cōfirmatione ingressus est Mediator, vt iterationem non admittat.

11. Sciēdū porro in definitione posita dici, In æterno Dei cōsilio & ipsius Christi oratione non aliis destinatū esse hoc λύτρον, quam iis qui per verbū Euangelij credūt, hoc est quos Filius Dei fecit, aut facturus est credētes: nullis autē infidelibus aut contēptoribus, hoc est, qui aut in ignoratione aut cōtemptu eius gratiæ perseuerant Act. 13. v. 40. 41. Videte ne vos inuadat quod prædictum est in Prophetis, videte ô cōtemtores & admiramini & euanescite: quia opus operor ego diebus vestris, opus quod non credetis si quis enarrauerit vobis. Itē Act. vlt. 2. Th. 1. v. 8. 9. 10. 11. Act. 2. v. 39.

12. Intercedere enim & sacrificare sunt cōiuncta. Pro quibus ergo Filius Dei non orat, pro iis etiam non sacrificat Ioan. 17. v. 9. Item Luc. 22. v. 31. 32. Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua. Ergo etsi sufficiēter sit passus pro omnibus hominibus, tamē efficaciter pro solis electis (vt etiam Scholastici loquuntur) quos ipse facit credentes. Iis enim solis est λύτρον illud Dei decreto & Filij intercessione destinatum, aliis Deū non cognoscentibus & contēptoribus diserte exclusis. Ideo Christus inquit: Amen dico vobis non gustabunt Cœnam meam: Et concludit ibidem Saluator; Multi vocati (scilicet externe) pauci verò electi.

Thes.1.v.8.9.10.11.12. Alioqui si etiam pro reprobis intercessisset & sacrificasset, ipsorum peccatis sacrificio Filij Dei plenè persolutis non ferret Dei iustitia, vt debitum à Filio persolutum denuo exigeret, nec morte æterna peccata in ipsis iustitia Dei posset plectere, vtpote cui esset satisfactum. Deinde etiam necessario daretur iis Spiritus Sanctus qui fidem crearet, si cum oblatione pro peccatis ipsorum intercessisset Dei Filius Ioã. 17.v.21.22. Ioan.14.vers.16.vers.17. Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum illum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum nec nouit eum. Vos autẽ cognouistis eum, quia apud vos manet & in vobis erit. Ea oratio facta in terra æternã vim habet in cœlo Ioã.17. Heb.7.v.17.

13. Et quemadmodũ nulla alia persona digna est quæ se sistat ad traducẽdum in se peccata & maledictionem Dei, & pro iis offerendum victimã propitiatoriam, quàm Filius incarnatus: ita nec alia persona digna est quæ se sistat ad impetrandũ aliis applicationẽ sacrificij erga Patrem & Spiritũ sanctũ fidei authorẽ in hominibus quàm eadẽ quæ offert, seu caussam iræ nempe peccatum & iram ipsam in se transfert. Eiusdem enim est sistendo se in cõspectum Dei, impetrare sua oblatione remissionem peccatorum, & agnitionem Dei qua fit applicatio, Ioan.16. Rogabo Patrem & dabit vobis alium paracletum.

14. Quemadmodũ etiam non alios Sacer-

dotes

dotes substituit qui ipsum in cruce offerrent, & quidem inscios pro quibus offerrent, (nisi fortè qui sit sectent ex carnificibus Sacerdotes creare velint sui similes) sed semetipsum obtulit pro iis quos sciebat Patrē sibi dedisse, nequaquam autem fortuitò aut casu (vt quidam imaginātur sparsam esse illam oblationis gratiam in aërem vt eam ad se rapiat qui volet) Gal.1.v.4.15.16: ita etiam non alios substituit Sacerdotes, qui sacrificando eandem victimā propitiatoriam aliis applicarent nescientes quibus eam applicarent: nesciunt enim qui ij sint quos Christo Pater dedit.

15. Fōs enim applicationis cōsistit in decreto æterno Patris pro quibus eū offerre velit, quod arcanum Dei decretū Filio est notum: sicut apud Ioan.17.ait, Pro iis oro quos dedisti mihi: Deinde in volūtate Mediatoris obedienti huic decreto Patris, vt cum intercessione pro iis se offerat, & gratia sua qua vnicè dilectus apud Patrem valet, impetret iis Spiritum Sanctum, per quem semel oblatę victimę vniantur Ioan.17. Volo Pater &c. Atq; ita dū nō tātùm se offert, sed pro certis hominibus offert oratione sua expressis, iam eo ipso coram Patre fit firmissima applicatio: in nobis verò dum impetrata ipsius intercessione Euangelij doctrina cum efficacia ad nos mittitur, vt propria fide, qua quisque electus donatur,) semel victimæ applicatione erga Deū facta, ad consciētiæ suæ pacē fruatur: siue (vt paulò fusius dicā) dum misso sceptro virtutis suæ è Zion nempe doctrina Euangelij è cœlo

per Spiritū Sanctū promulgata (1.Pet.1.v.12.) quisque electus fidei donatur, qua Christo insitus atque ita semel oblatæ victimæ applicationem erga Deum pro se vt ipsius corporis membro factam esse sentiēs (Eph.5.v.23.24.) æterna conscientiæ suæ pace fruatur.

16. Applicare itaque victimā aliis est traducere peccata & omnes maledictiones in victimā pro iis pro quibus immolatur, siue applicare ea victimæ: ac vicissim sanctissimam obedientiam victimæ imputare aliis & per Spiritum Sanctum efficere, vt eam imputationem sentiāt dum eo ceu vinculo cum oblata victima magis magisque vniūtur (Neq; enim pro aliis quàm pro membris suis offertur: Nā corporis sui saluator est ad Eph.5.) quod omne cōprehenditur dicto illo Iesaiæ: Seruus meus iustus cognitione sui iustificabit multos, quia ipse fert eorū iniquitates, cùm paulò antè dixisset, Ipsius vulneribus sanati sum⁹. Et 2. Cor. 5. de applicatione ait, Eum qui peccatum non nouit pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo. Vt Christus non fuisset mortuus, nisi à Deo, nō ab hominibus ei applicatis siue imputatis nostris peccatis: ita nos non viueremus nisi imputata nobis istius victimæ obedientia. Quod non fit tātisper dum extra corpus illud manemus: inserimur autē Spiritu fidei misso ad nos verbo recōciliationis, sicut ibidē loquitur Apostol⁹: Nō enim in nobis, sed in Christo, inquit, efficimur iustitia, quam qui accipiunt regnant cum ea in vita, sicut peccatum regnauit ad mortem

mortem Rom.5. Quam applicationem nostri peccati ad victimam Christi, Christi vicissim victimæ eiusque iustitiæ ad nos per Spiritum Filij: & vtramque gratuita Dei ordinatione & dono factam pulchrè enarrat Augustinus in illum ipsum locum Apostoli. Ipse, inquit, peccatum & nos iustitia: nec nostra, sed Dei: nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis factus est. Vide Enchiridion ad Laurentiũ ca.41. En factus est, inquit, Paulus: Item, vt nos fieremus: vt firmissima notetur applicatio. Sic victima Christi semper est victima, licet contemtoribus non sit victima, eo ipso quod iis non applicetur. Non autem applicari est Dei decreto peccata eorum in eã non traduci, & vicissim sanctissimã obedientiã victimæ ipsis nõ imputari, nec iis mitti Spiritum fidei, qui efficiat vt oblatæ victimæ insiti solidam consolationem inde percipiant. Non inseruntur autem quia pro ipsis oblata nõ est, aut si pro ipsis oblata esset, vtique insererentur. Christus enim Saluator est corporis sui. Ergo quos merito saluat, efficacia corpus suum efficit. Hæc omnia cùm sint opera ei propria qui solus cruentã offert victimã, ergo etiam illius est eandẽ applicare.

17. Et sanè sicut Christus se obtulit Patri per Spiritum æternum: ita etiam per Spiritũ æternum victimæ nos facit participes Heb.9. v.13. Ioan.6. Ergo eodẽ Spiritu, per quem obtulit victimam nos sanctificat. Ideo cap. 10. inquit, Consummauit in perpetuum

vnica oblatione eos qui sanctificãtur. En eos, qui sanctificantur, ait, vt doceat ad eosdem pertinere victimam & sanctificationem per Spiritum,: ne quis glorietur de perfecta expiatione peccatorum sine sanctificatione per Spiritum, prout antea 9. cap. fontem ostenderat his verbis: Nam si sanguis hircorum & taurorum & cinis iuuencæ aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem: quantò magis sanguis Christi qui per Spiritum æternum obtulit se inculpatum Deo, purgabit conscientiam ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuo.

18. Et vt nullus hominum vllo sacrificio propitiatorio Deũ prouocauit vt Filiũ in mũdum mitteret qui nos reconciliaret, ita etiam nullus homo vllo sacrificio propitiatorio impetrat eis applicationẽ: aut si applicationẽ etiã victimam: si victimam iam ante est in gratia, & sic victima nõ erit sibi & aliis victima.

19. Fructus itaque tantæ humiliationis, qua æternus ille λόγος forma serui (hoc est natura humana cũ suis infirmitatibus citra peccatum) accepta, factus est obediens Patri vsq; ad mortem, mortem autẽ crucis, quę in tertiũ vsque diem ei dominata fuit, primus & pręcipuus est, quòd obedientia illa Filij res ipsa est, quæ nobis imputatur in satisfactionem corã Deo, propter quã corã ipso omniũ peccatorum nostrorum memoria est abolita. Etenim cùm sacrificium hoc sit λύτρον pro peccatis omnium qui vnquam sanctificati fuerunt & adhuc sanctificantur, non tantùm satisfa-

ctio est

ctio est pro peccato originali atque aliis quæ contra Legem Dei facto commisimus, sed etiam pro peccatis omissionis, siue pro omissis bonis operibus, quæ Lex Dei è nostris viribus iure requirebat. Atque ita in voluntario illo sacrificio Christi habemus plenam iustificationem ab omnibus peccatis. Et sanè in toto hoc sacrificio præcipuè intuetur fides voluntariam abiectionem & summã obedientiã Filij Phil.2.v.8. ideoque quemadmodũ per inobediẽtiã vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi: ita per obedientiam vnius iusti constituentur multi Rom.5.v.19.20. Dignitas autem tantæ humiliationis atque obedientiæ pendet è dignitate personæ quæ sola habebat ius sistendi se coram Patre & ingrediendi in Sancta Sanctorum non manufacta per proprium sanguinem Hebr.9. Persona enim est æternus Dei Filius Hebr.1.& 2. naturâ Deus, qui in assumta natura humana ab ipsa conceptione sanctificata, pura, segregata à peccatoribus, iusta, factus est obediens Patri pro nobis iniustis vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et vt sola fide fit iustificatio: ita etiam sola & propria qua quisque donatur fide, fit huius iustitiæ applicatio quæ in voluntaria oblatione victimæ propitiatoriæ consistit: atque ita victima non aliter applicatur ex parte Christi, quàm dum pro nobis oblata fuit, ac mittit Spiritum sanctum intercessione sua nobis impetratum: & ex parte nostra, dum facti credentes promissione illa nitimur, vide ad Rom.5. Philipp.3.

20. Secundus fructus totius humiliationis Christi est mortificatio peccati, quę ad secundam fœderis partē pertinet. Etenim quia peccatum iusto Dei iudicio grassatū est in genus humanum, placata ipsius ira humiliatione Filij, & pro peccato est satisfactum, & vis ei ademta ne possit in iis qui fide ipsi vniuntur regnare Rom.5.v.6.7.8. Quam etiam fidem summus Sacerdos nobis impetrauit & conseruat Ioann.17.Luc.22.Ideo 1. Ioann.3.dicitur, In hoc patefactus est Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Itaque Filius Dei (qui totius fœderis gratuiti stabiliendi causa venerat) non tantùm mortuus est vt pro peccato satisfaceret, verumetiam satisfaciendo peccatum tanquam opus Diaboli destrueret. Nam satisfaciendo & maledictionē abstulit, & vim grassandi, atque sub sua mortisque potestate nos continendi, quæ omnis in iusto Dei iudicio, cui satisfecit, sita erat, peccato ademit: & hanc quoque gratiam nobis impetrauit, vt per Spiritum sanctum peccatum in nobis occidat, qui per vnum Spiritum in vnum corpus cum ipso coaluimus, 1. Corinth.12.v.12.13. Ioann.17.v.20.21.22.23. Siue vt paulò dilucidius dicam, Mortuus est Dei Filius incarnatus vt Dei iram placaret, qua placata peccati vis fracta est tam damnandi quàm in nobis regnandi Rom.6. Vtraque enim vis ex iusta Dei ira manabat. Nunc placata non tantum ira, sed nobis etiam factis dilectis in dilecto (Eph.1.itē Ioann.17. Pater dilige eos ea dilectione qua me dilexisti) atque cùm ex illo dilectionis fonte & intercessione Filij in terris

facta, quæ in cœlo perpetuam vim habet, donati simus Spiritu sancto, peccatum regnum suum in nobis amittit, donec prorsus intereat Ioann. 17. v. 19. vsque ad 23. Huc etiam respicit Apostolus dum ait: Idem sit in vobis affectus qui etiam in Christo Iesu, Phil. 2. Item Eph. 4. v. 20. 21. Vos autem non sic didicistis Christum, siquidem ab eo docti estis prout veritas est in Christo Iesu.

Tertia de resurrexit à mortuis.

22. Sequitur nunc exaltatio Christi cuius initium effulget in ipsa resurrectione. Ad vtramque Christi partem quomodo ea faciat, ordine explicabimus. Ac primùm quidem ad eam partem quod attinet, qua spopondit se satisfacturum pro nostris peccatis, non est quòd quisquam putet in tota Christi exaltatione aliquam fieri accessionē ad satisfactionem præcedentem. Nam Hebr. 10. v. 14. 15. 16. 17. id manifestè ostēditur. Duo ibi dicit Apostolus: primùm vnica illa oblatione corporis & sanguinis Christi in cruce peracta pro peccatis nostris esse satisfactum, neque alia satisfactione nos indigere. Deinde id ipsum confirmat ex noui fœderis promissione cuius sanciendæ causa Christus semel seipsum obtulit, nimirum hoc modo: promissio noui fœderis vnica illa quā dixi, oblatione summi Sacerdotis in æternum confirmata hæc est: Deum Leges suas velle inscribere cordibus nostris, & peccatorum nostrorum nolle memorem esse amplius. Itaq; cum apud Deūm nulla sit memoria peccatorum quoad fideles, quomodo requiret satisfactionē pro peccato? Tenemus

igitur ex his verbis Apostoli ipsiusq; adeò fœderis tam certò esse abolitā in æternū omniū peccatorum nostrorum memoriam vnica illa Christi oblatione, vt nullum amplius requiratur opus ne ab ipso quidem Dei Filio, multò minus ab vllo homine propter quod peccata quis putet sibi remitti. Ad priorem igitur sponsionis Christi partem quod attinet etsi in humiliatione ipsius plena est præstita pro peccatis satisfactio prout spoponderat, elucet tamen in eius resurrectione plena ipsius satisfactionis & exhibitæ promissionis certitudo atq; gloria. Primū enim cùm nō in suis sed in nostris peccatis, quę ei fuerant imposita, mortuus sit Christus, ex eisque ad vitam nunquam intermorituram resurrexerit, hinc admiranda lux omnium credentium animis affulget, ne vnum quidem ex omnibus ipsorum peccatis mansisse inexpiatum: alioqui non potuisset vas noster & sponsor fœderis Christus resurgere. Quandoquidem vbi vel vnum peccatum est ibi mors sit necesse est. Ita enim constituit immutabilis Dei veritas & iustitia Rō. 6. stipendiū peccati mors.

23. Porrò excitatio Filij non modò publicum est testimonium adductam esse perfectam & sempiternam iustitiam in omnes & super omnes qui credunt: sed etiam ipsa excitatio Filij est actualis (vt ita dicam) absolutio à peccatis omniū eorum qui per fidē in Christū è morte æterna excitātur. Quemadmodū enim Pater tradendo Christū in mortē reipsa condēmauit peccata nostra in Christo, Rō. 8.

v.3.ita etiã excitando eundẽ ex morte, ipso facto absoluit Christũ à nostris peccatis & ños in Christo. Firmissima huius doctrinę demõstratio est. 1. Cor. 15. Quod si Christus non excitatus est, inquit, inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris: hoc est, estis adhuc reuera rei coram Deo. Ergo quoniam Christus excitatus est non sumus amplius in peccatis nostris, hoc est, reuera sumus ab iis absoluti. Sic etiam accipiendum illud Pauli Rom. 4. Non scriptum est autem propter eum (Abrahamum) solum, quod hoc ei imputatũ fuerit, sed etiam propter nos quibus futurum est vt imputetur, iis nimirum qui credunt in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrũ à mortuis; qui traditus est propter offensas nostras, & excitatus est propter iustificationem nostri. Et sanè cur Euangelium plenum ad omnẽ creaturam tam Judæos quàm gentes post resurrectionem demum mittitur: sicut Christus apud Lucam ait, Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in ipsius nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum inter omnes gentes? Quia scilicet tum demum in ipsius nomine plenè ista promulgari poterát postquam peccata nostra in corpore suo tulisset super lignum, ab iisque iustificatus resurrexisset. Tũ enim Euãgelium erat modis omnibus lætum nuncium quo Christi nomine annunciabatur omnem peccatorum memoriam in Christo mortuo & excitato ipso facto deletam esse, & Dominum Iesum excitatum à mortuis velle

dare Spiritum sanctum, cuius vi possint credere Euangelio & resipiscere Actor.3. Quare in secunda parte sponsionis Christi plenius dicetur. Huc etiam pertinet illa interrogatio bonæ conscientiæ apud Deum per resurrectionem Iesu Christi 1.Petr.3.

24. Summa igitur prioris partis, quomodo scilicet abolita maneat peccatorũ nostrorum memoria huc redit: Quòd peccata nobis non magis imputari possunt, quàm ipsi Christo excitato à mortuis: & quod in Christo tã iusti & innocentes reputamur, quàm Christus erat cùm resurgeret à mortuis. Primùm enim quia per præcedentem mortem nostra peccata obediẽtia sua deleuerat, inde sequitur, cùm is iustificatus resurgat, qui antè vt peccator velut in nostra persona fuerat condemnatus & maledictus à Deo, cum nostro nomine à peccatis nostris iustificatum esse: Deinde verò quòd Deus nos porrò intueatur in ea perfectione, in qua resurrexit Christus, & non antea in ea intuitus nos sit ordinis huius ratio hæc est: Quia fines sic erant subordinati vt primum omnium in humana natura sanctificata ab vtero fieret reconciliatio. Nam si nondum facta reconciliatione seu expiatione peccatorum in ea sanctitate intuitus nos esset Pater atque gratos seu iustificatos habuisset, subsecuta morte non fuisset opus. Adde, quòd pugnaret cũ Dei iustitia, nondum reconciliatos intueri in sanctitate Christi, in qua ipse cõceptus erat, quia absq; sanguinis effusione nõ fit remissio Heb.9.22. ideoq; nec originalis illius labis quæ naturã inficit. Pugnaret etiã cũ veritate Dei qui nondũ reconciliatos habere

pro reconciliatis, & tamen eos postea reconciliaret, quos ante pro sanctis habuisset. Ergo certum est ordine præcedere rationem victimæ sanctæ seu doni sancti oblati pro nobis: postea consequitur illud, vt abolitis in illo dono nostris peccatis atque ita iustificatis seu absolutis nobis ab omnibus peccatis, Pater nos intueatur in æternū in illa puritate absolutissima, in qua vt primogenit⁹ è mortuis resurrexit Dei Filius. Ea enim conditione Filius Dei quoad carnē post expiatū sanctissima sua victima peccatū, primogenitus est è mortuis Act. 13. Colo. vt quemadmodū primus Adā ea cōditione fauorē imagineque Dei acceperat, vt sibi haberet ac posteris si in obedientia erga Deū persistitisset: ita & secundus Adā Christus omnia toti suo corpori habeat, nō tantum sanctissima illa inde à cōceptione vitā, quā ponit in satisfactione pro peccatis nostris Ioan. 10. sed etiā ea quā æternū iustus & inculpatus viuit Deo non tā sibi quàm omnibus qui eū expectāt in salutē Heb. 9. v. 26. 27. 28. Luculentissima huius rei probatio extat Rom. 5. v. 10. (In quo toto capite cōfertur vterque Adā, ita nimirū quòd vterque suis communicet id, quod habet) Si cū inimici essemus recōciliati sumus Deo per mortē Filij eius, multò magis recōciliati seruabimur per vitā ipsi⁹. Itē v. 20. 21. Quia si Pater nos intuetur in ea puritate, in qua Christus postquam nos morte reconciliauit primogenitus ex mortuis resurrexit, è qua puritate cū ipse nō possit excidere (vt primus Adā poterat, quod suo lapsu ostēdit: excidit enim sibi & omnib⁹ suis posteris) nec nos excidere possumus. Et hoc idipsum est qđ ait Apostolus.

Multò magis seruabimur per vitam ipsius. Nam postquã resurrexit, nobis viuit in æternum. Etenim priorem vitam totam cum primo Adamo (integro à Deo condito) communem, ideoque tentationibus obnoxiam (Gen. 3. Matth. 4.) quantumuis puram & innocentem, debebat ponere expiandis ipsius offensis & fructibus: alteram vitam in quam genitus est in resurrectione à mortuis Actor. 13. habet seruandis iis quos reconciliauit, vt loco iam citato loquitur Apostolus. Nec frustrà paulò antè dixerat Adamum fuisse typum illius venturi. Sicut enim primus Adam ea lege fauorē Dei & spiritualia dona acceperat, vt sibi ea haberet ac posteris si in obedientia perstitisset: ita & hic secundus Adam perstans in obedientia vsque ad mortem posita sanctissima sua anima seu vita pro nobis Ioann. 10. rursus ea assumta continuum Dei fauorem sibi & posteris habet, vt Pater membra semper intueatur in puritate capitis posteaquam peccata sunt abolita. Cùm antea nos intuitus esset peccatores in Filio moriente, iam intuetur iustos in eodem rediuiuo, qui vt nobis datus est reconciliator per mortem, ita multò magis conseruator ab ira per vitam. Siue vt dilucidiùs dicam: Cùm antea Filium intuitus esset peccatorem in nostris peccatis, iã intuetur eum & nos in ipso qualis est, non tam sibi, quàm nobis. Cùm enim antea intuitus esset Filium in nostris peccatis, iam intuetur eum apparentem iustum pro nobis absque nostris peccatis, hoc est, abolitis nostris peccatis [illegible]

[illegible]

ὑπεροχῇ τοῦ δώρου contemplatur nos iam in puritate illius doni, quia donum à nobis assumtum æternum est, & continenter cum eo apparet pro nobis 1. Ioann. 2. vers. 1. & 2: Filioli mei hęc scribo vobis ne peccetis: quòd si quis peccârit, aduocatum apud Patrem habemus Iesum Christum iustũ, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mũdi. Antè dixerat, Sanguinem Iesu Christi Filij Dei (inde enim dignitas victimæ ad producendum tam amplum effectum) mundare nos ab omni peccato: iã addit continuam intercessionem illius iusti apud Patrem: Quò propitiatio æternam vim habeat, affirmat eum adhuc apparere iustum.

25. Quę omnia pleniùs intelligentur si personam ipsam resurgentem vestitam suis promissionibus fidei oculis penitiùs intueamur. Personam enim quæ propria virtute resurgit nõ est hominis persona, quæ sibi priuatim resurgat, sibi, inquam, velut priuato indiuiduo per se subsistenti, sed persona est ipse λόγος seu æternus Filius nostri causa incarnatus, qui vt semetipsum in victimam omnium electorum peccatis onustam obtulit: ita & ad iustificationem ęternam eorundem idem λόγος incarnatus iustus resurrexit: vt sicut in priore Adamo antea censebantur peccatores propter inobedientiã vnius peccatoris, ita & iusti censeantur in obedientia illius qui in æternũ est iustus 2. Cor. 5. v. 15. Et vt quemadmodum antea peccatũ regnauerat ad mortem: ita qui donũ illud iustitiæ accipiunt cũ eo regnent in

vita. Atque ita nulla fit accessio ad mortis suę meritum seu satisfactionem pro peccatis per ipsius obedientiam, sed fauor Dei, quem semel cum intercessione se offerendo comparauit, continuatur, vt nos à peccatis propter illud precium absolutos, in precio iusto iustos porrò agnoscat, & quidem pro Dei filiis, & cohæredibus vitæ æternæ in Filio semel oblato & in æternum viuente. Ego pro eis sanctifico meipsum, vt sint vnum mecum Ioan. 17.

26. Postremò quia persona, quæ propria virtute resurgit, non est hominis persona ceu Indiuidui per se subsistentis, sed persona est λόγος æternus incarnatus, habens potestatem ponendi animam suam, & rursum sumendi eã (neque enim anima excitat corpus, sed ipse λόγος æternus Ioan. 2. v. 19. 1. Petr. 2. Ioan. 10.) effulget in ipsius resurrectione à mortuis Adami affectatæ maiestatis crimen, & quę inde secuta sunt peccata, plenissimè esse expiata per eum qui ab æterno maiestatem diuinam habens, in carne adeò se demisit vt fieret maledictum: quam salua Dei iustitia excitare non potuisset, nisi maiestatis crimen cum suis fructibus fuisset expiatum per semetipsum, qui diuina maiestate illæsa Filium Dei benedicti se esse, cùm pateretur confessus fuerat, atque hanc vnam ob causam sententiam mortis subierat, & insontem se pro sontibus supplicium crucis subiisse, resurgendo propria Deitatis suæ virtute demonstrauit. Et sanè per eum hoc fieri decebat, qui

bat, qui propter hoc ipsum innocens condẽnatus fuerat, quòd æternum Patris Filium se esse confessus esset, quò Adæ blasphemiã vnà cum aliis inde ortis peccatis tolleret ab omnibus qui fide ipsi inseruntur. E qua condemnatione ob eamque secuta morte, dum propria virtute resurgit, re & facto se Filium Dei demonstrat, quod in ipsa condemnatione ore de se confessus fuerat, Rom. 1. v. 4. ideoque se innocentem Adæ noxam cum inde emergentibus peccatis plenè expiasse, dũ ipse iustificatus omnium membrorũ suorum nomine resurgit, vt in tanto capite porrò censeantur iusti: nimirum vt quemadmodũ inobedientia vnius regnãte ad mortem peccatores & morti obnoxij cõstituti sunt multi: ita & obediẽtia vnius per iustitiam regnante ad vitam, iusti constituantur multi, qui vnà cum eo regnent ad vitam. Vide ad Roman. cap. 5. Zach. 9. vers. 9. Regnat autem obedientia Christi ad vitam, virtute Deitatis cuius vi etiam in vitam resurrexit. Huc pertinet etiam illud Ieremiæ 23: Excitabo Dauidi germen iustum & regnabit Rex &c. Et paulò pòst: Et hoc erit nomen quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra. Hîc duo notanda: Primùm quod Messias sit germen iustum: deinde quòd germen illud iustum, sit Iehoua iustitia nostra: ideo enim sic vocari vult, quòd verè etiam sit. Neque verò essentialis Dei iustitia, quę essentia ipsa Dei est, cum quoquam cõmunicatur à Deo qui gloriã suam non dat alteri: sicut nec vllam creaturam in essentiam diuinam mu-

tat: ſic enim honorem ſibi proprium in eam transferret: ſed germen Dauidis iuſtum vocatur Iehoua iuſtitia noſtra, quòd iuſtitia nobis parta eſt, & in æternum conſeruatur per perſonam quæ eſt Iehoua & ſimul iuſtum germē Dauidis. Non parta eſt nobis iuſtitia tantùm per humanam naturam, ſed per perſonam: Ergo non tantùm natura humana conſideranda eſt in ratione iuſtitiæ, ſed obedientia totius perſonæ. Quæ perſona niſi eſſet iuſtum germen, vas noſter eſſe non potuiſſet (neque enim qui aut homo non eſſet, aut ipſe reus eſſet, idoneus eſſet, qui vadem ſe ſiſteret pro aliis): nec iuſtitia noſtra (licet in ſe) qui ob affectatā æqualitatē cū Deo, maieſtatis eram rei, niſi perſona eſſet Iehoua, quæ & ſubmiſſione ſua tātū reatū, ſeu iniuſtitiā in noſtra carne, ab ipſo tamē Iehoua nēpe logo aſſūta, tolleret, & partæ nobis ſua obediētia iuſtitiæ æternā vim daret. Decebat enim tātā iniuſtitiā, affectatæ maieſtatis crimē per eū qui ab ęterno in forma & maieſtate Dei erat ſubmittēdo ſe, expiari: ideo Paulus ad Heb. 5. v. 8: Quamuis Filius eſſet, tamen ex iis quæ paſſus eſt didicit obediētiā, & cōſecratus, eſt factus author ſalutis æternæ omnibus qui ipſi auſcultāt. Hoc eſt, re ipſa expertus eſt quid ſit habere Patrem cui parendū ſit, ſeu quāta obediētia ei debeatur: Expertus eſt autē nō inuitus, ſed tamē ſeſe ſubiiciēs, quū alioqui Filius eſſet per omnia Patri æqualis. Et ſic ſubiiciendo ſe factus eſt author ſalutis ęternę omnibus qui ipſi auſcultāt, quos nēpe ipſe facit, credētes, eadē vi qua

excitauit

excitauit propriā maſsā è morte. Nō ergo eſſentialis iuſtitia Iehouæ ſeu Filij, qui eſt Iehoua, nobis imputatur, ſed quòd tota perſona (eſt enim Mediator ſecūdū vtrāq; naturā) ſubmiſit ſe: nempe nō tantùm quâ homo eſt, ſed etiam quâ ab æterno Filius eſt ad Gal. 4. Phil. 2. multò minus vt homo per ſe ſubſiſtens, ſed vt eſſentialis Filius Dei incarnatus, vt ſemel præſtita ſubmiſſio tū in morte plena ſit ſatisfactio, tum in vita in quā reſurrexit perpetuò vigeat: & vt membris continenter à capite imputetur, vnde etiā rex qui nobis venit iuſtus, Rex iuſtitiæ appellatur, & iuxta Danielis (cap. 9.) vaticinium expiato peccato adduxit ſempiternam iuſtitiam Sanctus ille ſanctorum in carne noſtra vnctus. In ſumma vt iuſtitia poſſet nobis hominibus imputari, ſeu nos abſoluere, oportebat humanum, Dauidis nempe, eſſe germen & quidem iuſtum: & vt vim haberet expiandi crimen illud ſummum læſæ maieſtatis diuinæ, cum omnibus inde ſecutis peccatis, & regnandi ad vitam, transferendi denique ad nos per gratiam quod ille habebat naturâ, nempe ius filiorum Dei in æternum, neceſſe erat perſonam eſſe λόγον incarnatum ipſum Iehouam manifeſtatum in carne, quæ & mortē in carne pro nobis ſubit, & ad iuſtificationē noſtri reſurgit: Ergo Deus manifeſtatus in carne, ſeu Iehoua germen iuſtum iuſtitia noſtra in æternum eſt. Itaque vt Adam antea reus læſæ maieſtatis Iehouæ, horrebat eius conſpectum: ita iam Filio (qui eſt Iehoua germen Dauidis iuſtum ſimul & iu-

ſtitia noſtra) reſurgēte, maieſtatem eius ampliùs non horret. Et vt antea nudatus ornamentis in creatione acceptis eum fugiebat: ita iam non fugit, ſed ad eum confugit, quia cōfidit vnà cum fidelibus omnibus iuſtitiam in Iehoua illo Dauidis germine iuſto nobis regnare ſupra peccatum & mortē, atque gratiā abundare ſupra delictū Rom. 5. Quia Rex ille æternus non fruſtrà eſt Dauidis germen iuſtū, nec fruſtrà vocatur Iehoua iuſtitia noſtra.

27. Atque vt Adæ peccatū ad omnes pertinet qui naturâ eius hęredes ſunt: ita & iuſtificatio vitæ ad omnes qui Spiritum Filij accipiunt Gal. 4. v. 1. 2. 3. 4. Epheſ. 2. v. 1. 2. 3. ideoque & illa perſona Iehoua incarnatus, quæ è morte propriam maſſam excitat, non vnum aliquod indiuiduum per ſe ſubſiſtens iuſtitia ſempiterna ornatum in lucem produxit (ſic enim vnum tantùm illud indiuiduum ſeu homo per ſe ſubſiſtens Patri eſſet acceptus) ſed naturam omnibus membris communem nempe omnibus quibus λόγος ſe per gratiam inhabitantem communicat, vt ornamenta capitis toti corpori gratiam cōcilient (id quod per ornamenta, quibus Pontifex perſonam Chriſti indutus in Dei cōſpectum prodibat, ſignificabatur) atque ita ſimus non modò liberi ab omni crimine, ſed in ipſo & per ipſum gratioſi acceptique filij & cohæredes Gal. 3.

28. Ad alteram ſponſionis Chriſti partem quod attinet, hanc nimirum, ſe effecturum vt renouati ad Dei imaginem eum glorificemus in hac & futura vita, etiam facit Chriſti re-

ſurrectio.

successio. Primùm enim sicut λόγος incarnatus resurgendo & iustificatus est 1. Timo. 3. v. 16. & in locū peioris mortis successisse vita: ita quos in se facit credētes simul iustificat & viuificat Ioan. 5. v. 15. & cap. 12. v. 24.

29. Sicut autem Christus non tantùm ex morte illa resurrexit, quæ est solutio animæ à corpore, sed etiam è doloribus illis mortis, qui in impiis sunt mors æterna (quandoquidem pro iis non satisfacere, cùm ipsi sint finiti, eoque nec superare possunt) quos patiendo & moriendo animo & corpore pro nobis senserat, ac dominium etiam iis post sublatum eorum sensum in tertium vsque diem permiserat: & resurgendo declarauit illius à nobis commeritæ derelictionis à Deo se esse victorem (nempe vt causę ita & effectus, vt peccati ita & mortis æternæ, ideoque & temporalem hanc in somnum & reliquiarum peccati internecionem conuertisse, & tandem prorsus eam se aboliturū esse. 1. Thes. 4. 1. Cor. 15: ita & viuificat eos, quorum peccata expiauit, & educit è præcipuo effecto peccati, nempe morte æterna eadem vi sua nēpe λόγου incarnati, qua ipse effectum illum in se vel in sua persona aboleuit, efficaciter eos viuificādo per semetipsum, hoc est, propria Deitate. Quò respiciens Diuus Paulus Ephes. 1. v. 18. 19. 20. ait, Deum parem potentiam exeruisse excitando Christum è morte, ea nimirum cum qua cōiuncta fuerat maledictio: & nos è morte æterna seu maledictione æterna, dando nobis fidem seu faciendo nos credentes,

prout 2. cap. cuius declarat his verbis: Cùm mortui essetis in delictis conuiuificauit vos cum Christo Iesu. Quin ibi de morte æterna quæ est in delictis, loquatur, non est dubium. Eadem igitur est viuificationis ratio tam ipsius Christi quàm nostri in Christo, qui nostri in ipsius viuificationem inclusit. Hæc ideo ne quis in vnione illa animæ cum corpore tantùm, & egressu è sepulchro mortis velut domicilio, in vitam, hæreat, cum de victoria mortis æternæ per Christum parta agitur (stupor nimis est vulgaris & cum magna ignoratione beneficij & virtutis Christi coniunctus): sed mentem subuehat ad eiusmodi resurrectionem Christi, quæ sit resurrectio ex morte nostra æterna quam pro nobis gustauerat: vt eam nobis absorptam credamus: & facti credentes, nos ex eadem morte æterna viuificatos esse sciamus.

36. Et cùm Christus solutis doloribus mortis excitatus sit eò quòd impossibile fuerit eũ ab ipsa retineri, impossibile etiam est, dolores mortis gustare eos, quos Christus iustitię Dei satisfaciẽdo finiuit & se deglutiuisse resurgẽdo declarauit, multò minus possibile est eos à morte retineri quorũ peccata in Christo sunt expiata, & qui impetratũ ipsius intercessione Spiritũ Sanctũ quo Christo vniũtur, accipiũt. Ioan. 11. v. 25. 26. 27. Impossibile autem fuisse à morte eum retineri testatur scriptura, tũ quia nulla causa mortis in eo erat amplius, tũ quia cõtraria erat causa vitę. Nulla causa mortis, tũ quia nullũ in illius persona hærebat peccatũ

(Quis

(Quis ex vobis arguat me de peccato? Ioan. 8.) tum quia nostrum peccatum ipsi imputatum morte plene erat expiatum. Contrariis causis vitæ: tum quia ex perfecta obedientia (præter eam qua se pro nobis tradiderat) è Legis sententia ei debebatur vita, tum ex gratuita promissione ante Legem latam Galat. 3. vers. 16.17.18.29. tum quia persona quæ mortua erat, est λόγος incarnatus, in quo vita erat ab initio Ioann. 1. denique erat princeps vitæ, ut à Petro in Actis nominatur. Ergo impossibile est nos dolores mortis gustare quos ipse pro nobis gustauit & deglutiuit, multo impossibilius à morte retineri Ioann. 11. sed econtrà necesse est nos gustare vitam etiam in hac vita, per fidem, vitam (inquam) in quam Filius Dei resurrexit. Sicut enim λόγος incarnatus expiatis nostris peccatis quæ in se susceperat, & morte æterna quam vnà susceperat, sua preciosa morte, abolita (Hebr. 2.) prodiit in vitam: ita quàm primum animus noster à λόγῳ incarnato audit, ipso nimirum aures aperiente, eum resurrexisse ad æternam iustificationem nostri è peccatis nostris & morte, quæ nobis debebatur æterna, tum incipit viuere seu regeneratur in spem viuam. Atque sic accipiendus est locus 1. Petr. 1: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi qui ex multa sua misericordia regenuit nos ad spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Atque tanta bonitate gustata mens non sibi, sed ei tum incipit viuere, & ad plenitudinem vitæ ex eodem

fonte hauriendam porrò contendere. Quod idem Apostolus vers. 4. & 5. declarat maximè cap. 2. v. 2. 3. λόγος enim propria Deitate patefecit nobis per prædicationem Euangelij Dei fauorem in quo est vita. Psalm. 16. quod de resurrectione Christi agit. Ideo Habacuc: Iustus fide sua viuet: quia ea sola fauorem Dei amplectitur, vnde vita manat, non autem ex ipsis qualitatibus quas iustus in se habet quantumuis à Deo acceptis: prout ira ipsius & indignatio mortem operatur.

31. Cùm autem peccati & mortis æternę vis sit Lex, cui naturâ omnes & quidem creationis iure, fuimus obligati tum sanè anima incipit verè & ęternum viuere, cùm notitia & fiducia in Christũ ei cõmunicatur, qua sentit in se obligationem illam Legis prorsus esse sublatam, nosque iunctos esse alteri excitato è mortuis. Sic enim ait Paulus: Itaque fratres mortificati estis Legi in corpore Christi vt essetis alterius qui ex mortuis excitatus est. Roman. 7. vers. 1. 2. 3. 4. 5. Docet solutam esse Legis vim tam damnandi quàm exigendi ex nostris viribus, quia sit soluta obligatio nostri ad fœdus legale: idque quia simus mortui Legi in Christo mortuo 2. Corinthios 5: & quia fide iam simus eius qui excitatus sit ex mortuis, atque ita omnes maledictiones Legis in quibus mortem oppetierat, absorpserit: nos verò viuificatos & veluti sibi matrimonio iunctos vt marito, fructus ferre Deo ex ipsius Chri-

sti vi-

stri viribus seu virtute in nobis, qui propter defectum propriarum virium Legi eas exigenti & easdem non habentes occidenti sumus occisi seu mortui, sed in corpore Christi (idque propter arctissimam cum eo coniunctionem) transiisse iam ad secundas nuptias seu ad alterum foedus cum eo qui resurrexerit è mortuis: quo tam liberatio à peccato & maledictione omni propter imputatam nobis Christi perfectam obedientiam, quàm nouae facultates nobis communicatae comprehenduntur.

332. Quemadmodum autem necesse erat vt λόγος incarnatus ab iniqua Pharisaeorum criminatione (aedificantium, inquam, à quibus lapidem prius reiici oportebat, quàm extolleretur in lapidem angularem) quod per rapinam se Filium Dei confessus esset: & ita à crimine maiestatis, à nobis commisso aliisque nostris peccatis inde manantibus ipsi vero impositis resurgeret iustificatus, quo constaret eum satisfecisse priori suae sponsionis parti in massa à nobis assumta: ita etiam oportebat λόγον viuificare propriam massam, quò constaret λόγον incarnatum esse Spiritum viuificantem, hoc est, vt constaret quemadmodum est Spiritus viuificus naturae à se assumtae, ita esse Spiritum viuificum omnibus & solis qui huic massae inseruntur 1. Cor. 15. 45. 47. Rom. 8. v. 11. Et c. 11. v. 15. 16. 17. 18. Sicut enim anima nostra proprium corpus (non aliena seu abscissa membra Ioann. 15.) viuificat, ita & Deitas Christi (secundum quam ibidem ab

Apoſtolo vocatur Dominus de cœlo) propriam maſſam, & quos ei inſerit vt membra communiter & coniunctim viuificat: ita vt eadem Deitas quæ plenitudinem vitæ in propria maſſa creat ex ea plenitudine in nos & ſubiecta membra transfundat Ieſai. 12.

33. Porrò quàm eſt certum Chriſti mortuam ſeu in morte iacentē carnē non habuiſſe quicquam virium ad ſe viuificandum, ideoque ſeipſam ſuapte vi non viuificaſſe (vt enim caro creatrix ſui ipſius non eſt, ita nec viuificatrix ſui ipſius eſt,) ſed tota illa vis reſidebat penes λόγον ipſius carnis creatorem, qui tamen non erat à carne diſtractus, ne per mortem quidem: tam etiam eſt certum non prodeſſe quicquam ad viuificandum nos, ſiue animas ſiue corpora noſtra ſpectes, quæ ambæ partes viuificatione egent: ſed & λόγον eſſe qui citra commixtionem nos carni ſuæ vnit, & ex eadem plenitudine vitæ quam in propria carne creat nobis carni huic per gratiam τοῦ λόγου cōiunctis, nullis autem ab ea alienis communicet. Hac ratione apud Ieſaiam puer qui natus eſt nobis vocatur Deus fortis Deitatis reſpectu, & Pater futuri ſeculi ſeu æternitatis, vitę reſpectu quam in nobis creat: & tamen non aliis, quàm quibus puer ille natus eſt, qui ſcilicet fide Deo illi forti manifeſtato in carne vniuntur. 1. Timoth. 3. atque ita fide adoptantur atque regenerantur. Ideo in Chriſto dicimur & adoptati & cōditi ad opera bona Eph. 1. & 2. Item, Si quis in Chriſto eſt, noua creatura eſt. Et 2. Cor. 4. v. 6. Quoniam Deus qui

dixit

dixit vt è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris ad præbendum lumen cognitionis in facie Iesu Christi. Ergo certum est tam viuificatione nostri è morte æterna per donum fidei (quæ ipsa initium renouationis nostris est) quàm renouationem illam ad Dei imaginem, quæ Christo fide apprehenso deinceps sequitur, opus esse creatoris λόγου incarnati, quam tamen ordine præcedit reconciliatio gratuita.

34. Ad viuificationem hanc & renouationem ad Dei imaginem quod attinet, (quæ in se continet donum fidei & resipiscentiæ Actor. 5. v. 31. & cap. 3. v. 26.) vtraque gradu est excellentior ea vita & Dei imagine ad quam homo initiò erat conditus: quia maior erit cognitio, & iam in hac vita facta est accessio doni perseuerantiæ. Ergo hæc est viuificationis illius natura, vt qui in vitam illam sunt excitati per fidem, non possint porrò toto animo peccare (sicut Ioannes ait: Qui ex Deo genitus est, non peccat scilicet toto animo 1. Ioan. 3. v. 9.) ideoque nec vita illa quę ex fonte promissæ æternæ misericordiæ fluit, & in quam sunt regeniti, prorsus excidere: quia semē Dei manet in ipsis. Et addit Diuus Ioannes eos non posse peccare (scilicet toto animo) eò quòd ex Deo nati sunt. Quemadmodum enim Christus ampliùs non moritur, sed vitam viuit quæ nunquam interrumpi potest (quod enim mortuus est peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo:

Mors ei vltrà non dominabitur, Rom.6.) iti qui semel in se senserunt veram fidem & initium non simulatæ resipiscentiæ, hoc est odij ac fugæ peccati ac serij propositi obediendi Deo secundum omnia ipsius præcepta, cùm per Spiritum viuificum (qui illa ipsa tantùm in electis operatur Tit.1.) Christo sint insiti, spiritualem vitam ex eo trahunt, vt surculi è stirpe, è qua nunquam excidant, & quæ ne in ipsa quidem separatione corporis & animæ labefactetur, multò minus extinguatur. Ideo Christus ait: Qui credit in me mortem non videbit. Itaque cùm fideles vitam hanc Christi in quam excitatus est viuant, seu in se inchoatam habeant, cuius quidem vitæ à capite in membra transfusæ ea vis est & natura vt nunquam penitus intermori possit, certi etiam sint de plena eius consummatione 1. Petr.1.vers.3.4.5. 2. Corinthios 4.vers. 14.15.16.

35. Atque hinc fluit certitudo de plena victoria aduersus peccatum, insultus Satanæ, & mortem. Quemadmodum enim λόγος in carne, quam assumsit, quamque propria virtute excitauit à mortuis (Ioann.10.) peccatum nostrum sibi imputatum atque mortem vicit: ita etiam non cessabit λόγος per gratiam habitans in fidelibus corporis sui membris 1. Corinth. 12. quin reliquias peccati & mortis merito suo & efficacia iam superatas sensim eneruet, donec prorsus eas aboleat & è natura tollat 1. Corinth. 15. vers. 54.57. 58.

1.Ioann.5.v.45. Non enim alia virtute & efficacia sed ea ipsa, qua λόγος in massa assumta peccatum nostrum & mortem vicit, in nobis quoque agente victuros nos scimus, Ioann.4.13.2.Cor.4.v.10. Ergo videmus quomodo per Mediatorem fœderis impleatur etiam altera illa promissio: Inscribam Leges meas cordibus eorum: quam promissionem exponens Dominus per eundem Prophetam cap.32.ait, Dabo timorem mei in medio eorum, vt non recedant à me.

36. Denique cùm non solùm animæ nostræ, sed & corpora Deo sint fœderata, & quidem membra capitis nostri Iesu Christi per vinculum Spiritus fidei 1.Cor.6.v.5.15. ideo in resurrectione capitis nostri corpora certum habent pignus ea non solùm in hac vita excitari à peccatis, sed etiam eadem corpora quæ adhuc mortalia sunt, ius vitæ æternæ iam habere, & per viuificum Spiritum Christi ad eius fruitionem iam sanctificari, ac tandem plenè instauranda esse. 1.Corinth.15. Sicut gestauimus imaginem terreni Adami, sic etiam gestabimus imaginem cœlestis. Tum demum inscriptio Legis Dei siue regeneratio ad Dei imaginem erit in nobis perfecta. Erit enim tum plena conformitas interna & externa cum Lege & voluntate Dei, ideoque dies resurrectionis regenerationis dies à Christo Domino vocatur Matth.19.v.28. Qui locus exponitur Marc.10. vers.28.29.& 30. Præcedet enim conformitas

cum Christo in afflictionibus, ideo addit Marcus, Cum persecutionibus. Atque cum hac conformitate cum Lege Dei vita siue immortalitas coniuncta est. Et sanè ius plenæ conformitatis cum Christo excitato ac per consequens vitæ æternæ ac futuræ incorruptionis nobis adiudicatum est à Deo, ipso facto, in excitatione Messiæ, nobisque oblatum per Euangelium & obsignatum certissimo arrhabone, Spiritu nempe Christi Eph. 1. Rom. 8. Ideo Apostolus non veretur dicere 2. Tim. 1. Qui & mortem aboleuit & vitam in lucem produxit ac incorruptionem per Euãgelium. Quamuis igitur circumferentes reliquias peccati, morimur, resurgemus tamen Christo conformes in vitam immortalem: quia & cõformitas cum Christo in eaque ius vitæ incorruptibilis nobis adiudicatum est excitatione Filij, & huic Christo excitato sumus insiti vt palmites viti externo testimonio Euangelij, & interno Spiritus adoptionis. Hoc fundamento nititur ratio Apostoli 1. Cor. 15. Si Christus resurrexit & nos resurgemus. Eodem pertinet quòd eum primitias resurgentium vocat: quia tota messis omnium fidelium excitandorum sanctificata fuit Deo ad gloriosam resurrectionem excitatione illius massæ quam Filius Dei à nobis assumsit. Eodem etiam pertinet quòd vocatur primogenitus ex mortuis Col. 1.

37. Sed enim initium progressus & complementum huius *υἱοθεσίας*, seu adoptionis, quã habemus per primogenitum ex mortuis, qui

etiam

etiam primogenitus inter multos fratres vocatur, Rom. 8. pleniùs intelligetur ex iis quæ sequentur.

Finis λόγου incarnati, eiusdem traditi in mortem & excitati vt sit primogenitus ex mortuis, est υἱοθεσία gratuita adoptio nostri ab æterno in Christo decreta, & inde ab initio Patribus promissa: & vt eo modo ad nos adoptio illa perueniret, quo erat decreta. Prius membrum perspicuum est tum ex locis iam citatis tum ex Epistola ad Hebræos cap. 1. v. 6. 9. & cap. 2. v. 10. 11. 12. 13: Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus, &c.

Modus autem partim pertinet ad naturalē seu ψυχικὴν vitam Filij incarnati, partim ad spiritualem vitam in quam ipse primogenitus ex mortuis resurrexit: prout etiam in nobis duplex vita consideranda, φυσικὴ seu naturalis & Spiritualis.

Primùm antequam homo donatus sit fide in Iesum Christum, etiam post Adæ lapsum, tantùm vna vita nempe ψυχικὴ in eo est, iuxta illud Geneseos, Factus est Adam in animam viuentē: eademque post lapsum cōtinuatur, vt docetur 1. Cor. 15. Hæc vita post lapsum prorsus est peccatis infecta, & meretur nihil aliud quàm mortem & infernum, cùm omnes eius vires seu facultates sint pollutæ, & corruptæ peccato originis. De tota hac vita sic pronuntiat Deus: Omne figmentum cordis humani duntaxat malum est à iuuentute sua.

Animalem hanc seu ψυχικὴν vitam λόγος incarnatus etiam habuit, sed perfectè puram &

ſanctam, omnibus facultatibus integram, cogitationibus, dictis & factis, & quidem maiore perfectione quàm Adam ante lapſum habuerat. Et quamuis propter vnionem perſonalem naturæ humanæ cum perſona τῦ λόγυ etiam tum, cùm ψυχικὴν illam vitam viueret, λόγος incarnatus Spiritus viuificus fuerit, tamen λόγος vim ſuam viuificam cœleſtem non debebat exerere (licet eius guſtum diſcipulis præbuerit in monte) tam erga maſſam aſſumtam, vt ψυχικὴ illa vita ſancta ſummis cum doloribus & cruciatibus pro peccatis noſtris & condemnatione in λύτρον poni poſſet : quàm erga nos : quandoquidem nondum nos ſibi reconciliauerat in ſemetipſo 2. Corinth. quinto, reconciliatio autem viuificationem & glorificationem ordine antecedit, Roman. octauo. Quam naturalem vitam ita pro nobis poſuit Dei Filius ex mandato Patris, Ioann. 10, & pro ouibus eam dedit, vt ponendo eam, mortem ſimul æternam pro omnibus ouibus guſtaret, vt Paulus ad Hebræos loquitur, ſeu dolores mortis, vt Petrus vocat Actor. ſecundo: Nam in morte ſeu naturalis huius vitæ diſſolutione præcipuè ſpectanda eſt æterna maledictio, quæ iam per Chriſtum eſt abſorpta & abolita, dum ea perſona quę Deus eſt & homo ponendo naturalem ſuam vitam pro peccatis maledictionem & mortem æternam peccatis debitam guſtare & guſtando abolere voluit. Ac perhibita teſtificatione mortis verè à ſe ſubitæ per manſionem
carnis

carnis suæ triduo in sepulchro: voluit indissolubilem illam vitam resurgere, cuius ius ad corpus & animam eius pertinebat, vtpote in consortium eius assumta, eo momento quo à λόγῳ in vnitatem suæ personæ assumebantur, sed ita vt naturalis vitæ vsura ordine præcederet ponenda pro nostris peccatis: indissolubili interim manente iure vitæ æternæ tam corpori quàm animæ communicandæ, prout nec eius principiũ & fons, vnio nempe personalis, ne in ipsa quidem naturalis vitæ depositione seu animæ & corporis dissolutione, & quidem æternæ mortis gustu, dissolui poterat, sed virtute vnionis & per consequens iuris illius quòd humana natura ab incarnationis initio à λόγῳ acceperat vitam scilicet æternam hæreditario iure possidendi ad Heb. septimo vers. 16, plenam eius vitæ possessionem adiret: quã æternam vitam Christus homo fide in ipso etiam sensu mortis æternæ retinebat, sicut fiducia illa cõstat è voce bis repetita Deus meus, Deus meus Psalm. 22: vbi Deum suum vocare non desinit, à quo se derelictum fatetur, quiescẽte scilicet λόγῳ: & in discessu etiam animæ eãdem retinuit, vt ex precatione ipsius est manifestũ. Pater in manus tuas commendo Spiritũ meũ.

38 Accommodemus iam hæc ad nos, & ad υἱοθεσίαν quam obtinemus à Christo primogenito ex mortuis. Homo ante acceptam fidem in Christum, vnam duntaxat viuit vitam, nempe illam ψυχικὴν: Post acceptam verò fidem diuisus est in duos veluti homi-

nes, atque ita duplicem habet vitam animalem, & Spiritualem. Et quamuis vita naturalis seu ψυχικὴ in semetipsa considerata peccatum non sit, vt edere & bibere &c. tamen tota cum omnibus suis facultatibus ex effectis peccatis est inquinata ad Tit. 1: Pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est eorum mens & conscientia, ad Roman. 14: Quicquid non est ex fide est peccatum. Atque ad hunc veterem hominem & totam vitam naturalem seu ψυχικὴν pertinet. Lex (quatenus est fœdus), quæ eum totum vitamque eius totam peccati & damnationis conuincit, quicquid, inquam, ex naturali vita Adami emanat vt imputatio defectionis ac reatus, & corruptio cum suis fructibus: non autem id quod ex viuifica vi Spiritus Christi proficiscitur, quæ fide primum (quam viuifica illa vis in nobis generat) perfectam iustitiam extra nos in obedientia secundi Adami nobis totis quanti quanti sumus imputat (Neque enim huius obedientia intra Christum se continet, quemadmodum nec illius inobedientia intra Adamum Roman. quinto) deinde etiam sensim nos renouat ad Dei imaginem: quanquam & hoc ipsum nouæ vitæ initium veteris illius sordibus coinquinatur, vt gratuita venia per & propter imputatam obedientiam Christi indigeat.

Pro hac naturali seu ψυχικῇ nostra vita quâ anima & corpore in peccatis concepti viuimus, & viuentes mortui sumus, vt Paulus ad

lus ad Timotheum loquitur, posuit Christus in λύτρον semetipsum, atque ita corpus & animam suam sanctissima conceptione sibi quidem vnita, naturali tamen vita, licet iustissima, prædita: vt tantæ personæ obedientia in satisfactionem & iustitiam nobis imputaretur. Ita impedimentum υἱοθεσίας nostri tollitur, atque simul gratia nobis impetratur, vt nos fratrum ipsius loco censeamur induti ipsius iustitia Iesai.53. vers. 11, illius, inquam, qui & pro nobis mortuus est & excitatus.

Huius autem beneficij seu adoptionis sensus atque possessio ad nos non peruenit, donec viuificati à secundo illo Adamo qui est Spiritus viuificus, adoptionis nostræ fundamentum & caput, ei vt surculi inseramur Roman. octauo vers.9. Si quis Spiritum Christi non habet, non est eius.

Altera itaque vita in nobis postquam facti sumus credentes, est spiritualis, fundamentum habens iustitiam illam regnantem in vitam, vt Paulus eam vocat, seu obedientiam capitis, qua totius nostræ personæ & vitæ maculæ teguntur, vt ea freti cum eo regnemus in vita, Roman.5. Cuius quidem obedientiæ perfectio fulget in capite excitato è mortuis: Quam imputatam iustitiam vitæ, simul sequitur noua à secundo Adamo, Spiritu nempe viuifico creata vita inhærens præcipuæ parti animæ tam intellectus quàm voluntatis, ac effundit se indies magis ac magis in vniuersam animam,

cessare oportere per dissolutionem animæ à corpore propter inhærens peccatum Rom.7. vers.14.2.Corint.5.Nec inuiti eam deponunt fideles cùm in ipsa & ex ipsius facultatibus nondum renouatis nil nisi peccata prodeant, quæ singula æternas merentur pœnas,& semper Deo eiusque Filiis displicent, licet per & propter Christum,nec peccata nec pœnę credentibus imputentur.

Ac contrà ad plenitudinem illam vitæ quę propter imputatam iustitiam plenè in resurrectione Christi effulgentem, ex Christo in ipsos manare cœpit, aspirant Philipp.3 quæ testimonium ipsis est insitionis in Christum, ac per consequens nihil in se esse damnationis licet per peccata naturalis vitæ, quibus etiam hæc ipsa spiritualis vita contaminatur,(quandoquidem dum in hoc corpore mortis sumus ab altera illa naturali vita spiritualem hāc separatam non habemus etsi distinctam: sed coniunctæ sunt & veluti implicitæ: ita duplex & diuersi generis vita velut sub eodem tecto seu in eadem domo habitet,Roman.7.ver.18.19.20.) mortem & damnationem æternam toties mereantur quoties Dei legem transgrediuntur,hoc est, continenter,Roman.8.v.1.2.3.

Bono igitur animo semper sumus cùm secūdum internum hominem stemus in libertate Filiorum Dei, ac sciamus tandem vnà cum naturali illa vita peccatum cessaturum, nec illius vitæ interitum cum suis

concupiſcentiis quicquam ex ſpirituali illa in nobis inchoata vita,fluente ex imputata iuſtitia, & per eam gratuita adoptione in Filios Dei,derogari poſſe:imò tum demùm nos plenam adoptionis fruitionem ad quam ſuſpiramus conſequuturos à fratre noſtro primogenito ex mortuis,Rom.8.v.23.24.25.26.

39. Cuius plenæ adoptionis ius nobis iam adiudicatum eſt à Patre cœleſti ipſa excitatione Filij è mortuis,fore nimirum vt nos æquè certò in die reſurrectionis renouati excitemur fratri noſtro conformes,ipſi,inquam, qui per potentiam reſurrectionis ſuæ declaratus eſt Filius Dei Rom.1. Sicut enim primogenitus inter filios hominum eſt principium roboris Patris ſui : ita & robur potentiæ ſuæ oſtendit cœleſtis Pater cùm Chriſtum excitaret à mortuis Actor.13.Sic de Iſraële, è quo ſecundum carnem oriturus erat Filius Dei, loquitur Dominus ad Pharaonem : Dimitte primogenitum meum.Et:Ex Ægypto vocaui primogenitum meum,nempe quia ex Iſraële oriturus etiam erat Dei Filius quoad carnem, itaque etiam in eius carne impletum ſcribit Matthæus quod antea in potenti illa liberatione velut generatione è morte Iſraëlitici populi è ſeruitute Ægyptiaca, fuerat adumbratum,Hoſeæ 11.verſ.1. Deinde ſicut Deus primogenitos ampliore hæreditate donarat quàm fratres,vt fratribus præſidio eſſent : ita & Chriſtus primogenitus inter multos fratres & quidem primogenitus ex mortuis plenitudinem donorum accepit, vt dona illa ſa-

tandem etiam post exactam hanc naturalem vitam plenè in ipsum corpus se effusura: quod etsi moriatur propter inhærentes reliquias peccati, quas in eo aboleri oportet, viuet tamen & ipsum, cùm spiritus siue anima eius donata sit cœlesti vita propter imputatam iustitiam tam animæ quàm corpori, ideoque futurum sit vt peccato & corruptione abolita, tandem etiam cœlestem illam vitam anima in ipsum corpus sit effusura. Id quod Apostolus docet Roman. octauo vers. 10. 11. Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus autem vita est propter iustitiam &c. Hæc vita oritur à λόγῳ viuifico, & nobis communicatur ex altera illa vita in quam λόγος incarnatus propriam humanitatem plenè excitauit: & per donum cœleste fidei nos quoque iam in eandem excitamur, & indies ad eandem renouamur Coloss. tertio, ver. primo, secundo. Ephes. 5. vers. 3. 4. 5.

Huc seu ad hanc vitam pertinet mera υἱοθεσία atque adoptio, nulla exactio legis ex nostris viribus, nec accusatio vlla, multò minus damnatio, sed conscientiæ fruuntur libertate Filiorum Dei Roman. octauo, vers. 33. 34. Galat. 3. vers. 28, 29. Et cap. 4. vers. 5. 6. 7. Et cap. 5. v. 1.

Huius vitæ lex est ipse Spiritus Christi, dans vires, non exigens Rom. 8. ver. 2. 2. Cor. 3. vers. 18. multò minus huic fideli & in libertatem restitutæ animæ parti iram Dei & damnationẽ interminans Rom. 8, v. 1. & 3. Atque

ita

ita accipiendum est dictum Pauli, Iusto lex non est posita, sed parricidis &c.

In summa lex huius partis animæ viuificatæ est Spiritus vitæ Christi vt Paulus loquitur, qui liberum reddit credentem à condemnatione propter imputatam toti personæ iustitiam, & impellit atque mouet, vltrò non contra, sed secundum legem scriptam, ac repugnat corruptioni quæ in reliquis partibus hæret, Ierem. 31. Rom. 7. Ius enim seu *dicamus* quod lex in totum naturalem seu *legem* hominem habuit, impletum est vt Paulus loquitur Rom. 8. cum Christus vitam suam *legem* cœlestibus donis ornatam, *legem* tamen pro nostra vita *legem* peccato originali & aliis polluta, summa cum obedientia poneret, Ioan. 10. & ipse porro suis viribus in nobis efficit quod L. ex à mortuis in peccatis, iure quidem, sed frustra requirebat.

Et fideles reputant naturalem suam vitā simul cum Christo positam esse, cùm is moreretur 2. Cor. 5. Rom. 6. atque ita se cum Christo mortuos reputāt tempore quo huic vitę naturali, quæ in se & ex se tota est vita peccati, in Baptismo valedixerint, ac pro mortuis baptizati sunt 1. Corinth. 15. virtute *communionis* cum morte Christi, vide ad Gal. 2. v. 11. 12. 13. imprimis vero v. 20. Itaque si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi, quid vt viuentes in mundo ritibus oneramini? Item ca. 3. v. 1. 2. 3. prout sane fideles etiam reputat se quoad naturalem illā vitam indies mori 1. Cor. 15. v. 29. 30. ac tandem penitus vitam illam naturalē

cessare oportere per dissolutionem animæ à corpore propter inhærens peccatum Rom.7. vers.14.2.Corint.5.Nec inuiti eam deponunt fideles cùm in ipsa & ex ipsius facultatibus nondum renouatis nil nisi peccata prodeant, quæ singula æternas merentur pœnas,& semper Deo eiusque Filiis displicent, licet per & propter Christum,nec peccata nec pœnę credentibus imputentur.

Ac contrà ad plenitudinem illam vitæ quę propter imputatam iustitiam plenè in resurrectione Christi effulgentem, ex Christo in ipsos manare cœpit, aspirant Philipp.3: quæ testimonium ipsis est insitionis in Christum, ac per consequens nihil in se esse damnationis licet per peccata naturalis vitæ, quibus etiam hæc ipsa spiritualis vita contaminatur,(quandoquidem dum in hoc corpore mortis sumus ab altera illa naturali vita spiritualem hāc separatam non habemus etsi distinctam: sed coniunctæ sunt & veluti implicitæ: ita duplex & diuersi generis vita velut sub eodem tecto seu in eadem domo habitet,Roman.7.ver.18.19.20.) mortem & damnationem æternam toties mereantur quoties Dei legem transgrediuntur,hoc est, continenter,Roman.8.v.1.2.3.

Bono igitur animo semper sumus cùm secūdum internum hominem stemus in libertate Filiorum Dei, ac sciamus tandem vnà cum naturali illa vita peccatum cessaturum, nec illius vitæ interitum cum suis

concu-

concupiſcentiis quicquam ex ſpirituali illa in nobis inchoata vita,fluente ex imputata iuſtitia, & per eam gratuita adoptione in Filios Dei,derogari poſſe:imò tum demùm nos plenam adoptionis fruitionem ad quam ſuſpiramus conſequuturos à fratre noſtro primogenito ex mortuis,Rom.8.v.23.24.25.26.

39. Cuius plenæ adoptionis ius nobis iam adiudicatum eſt à Patre cœleſti ipſa excitatione Filij è mortuis,fore nimirum vt nos æquè certò in die reſurrectionis renouati excitemur fratri noſtro conformes,ipſi,inquam, qui per potentiam reſurrectionis ſuæ declaratus eſt Filius Dei Rom.1. Sicut enim primogenitus inter filios hominum eſt principium roboris Patris ſui : ita & robur potentiæ ſuæ oſtendit cœleſtis Pater cùm Chriſtum excitaret à mortuis Actor.13.Sic de Iſraële, è quo ſecundum carnem oriturus erat Filius Dei, loquitur Dominus ad Pharaonem : Dimitte primogenitum meum.Et:Ex Ægypto vocaui primogenitum meum,nempe quia ex Iſraële oriturus etiam erat Dei Filius quoad carnem, itaque etiam in eius carne impletum ſcribit Matthæus quod antea in potenti illa liberatione velut generatione è morte Iſraëlitici populi è ſeruitute Ægyptiaca, fuerat adumbratum,Hoſeæ 11.verſ.1. Deinde ſicut Deus primogenitos ampliore hæreditate donarat quàm fratres,vt fratribus præſidio eſſent: ita & Chriſtus primogenitus inter multos fratres & quidem primogenitus ex mortuis plenitudinem donorum accepit, vt dona illa ſa-

luti fratrum seruiant, ipsique ex plenitudine eius hauriant, & in hac & in cœlesti vita Iesai 11. & 12. Psal. 45. Hebr. 2.

40. Postremò cùm Christus sit primogenitus ex mortuis & primogenitus inter multos fratres, necesse est & illum & hos humanam naturam omnibus essentialibus proprietatibus integram retinere Luc. 24. v. 39. Ioán. 20. v. 17. & 27. Psal. 22. v. 13. Actor. 13. v. 34. Et Psal. 2. v. 7. Iesai. cap. 55. v. 3. Psal. 89. Nam fratrum ornandorum causa primogenitus est è mortuis, qui carni suę gloriam dedit, naturam verò & veritatem non abstulit. Ergò vt primogenitura è mortuis ipsius humanam naturam non destruxit, sed gloria ornauit: ita nec nostram destruet, sed gloria ornabit. Aut si suam, atque ita nostrã in sua destruxit, quomodo nostram suæ reddet conformem? Philip. 3.



ARTICVLVS VI.

Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

1. ADHVC dictum est quomodo resurrectio, quæ exaltationis Christi est initium ad vtrãque fœderis gratuiti partem faciat: sequitur exaltationis progressus in ascensione in cœlum.

Ad vtrãque fœderis partẽ & spõsionis Christi pro nobis, etiã facit Christi in cœlũ ascensio, nem-

ſio, nẽpe vt teſtimoniũ adductæ æternę iuſtitiæ, & aditæ hæreditatis cœleſtis iuramento ſemini Abrahæ (qui eſt Chriſtus Gal.3.) promiſſæ, ad quam nos prius renouatos ad ſui imaginem ſit introducturus.

Ad priorem quidem quod attinet, ſolennis teſtificatio eſt adductæ æternæ iuſtitiæ, dum verus Deus manifeſtatus in carne aſcendit. Nullus enim homo per ſe ſubſiſtens propria virtute aſcendere potuiſſet. Cùm igitur aſcenſione ſua vt proprio Deitatis effectu demonſtret ſe eſſe λόγον æternum, incarnatum, aſcendendo eò vnà cum ſummæ ſuę humiliationis pignore, vnde deſcenderat, teſtatur, Adæ maieſtatis crimen vnà cum ſuis effectis in ſe, cum innocẽs maieſtatis reus ageretur, definito Dei conſilio traductum, modis omnibus ſuperatum eſſe, dum non modò reſurgendo à mortuis Filium Dei potenter ſe demõſtrauit, ſed etiã ſolenni hoc de peccato omnibuſque ſuis & noſtris hoſtibus triumpho: ideoque credẽtes in ſe verè ab illis liberatos, & ab omni crimine iuſtificatos eſſe. Hæc omnia continẽtur in eximio illo dicto Pauli in 1. ad Timoth. 3. v.16: Sine controuerſia magnum eſt pietatis myſterium: Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in Spiritu, conſpectus eſt ab Angelis, prædicatus eſt gentibus, fides illi habita eſt in mundo, receptus eſt in gloriam. Sic ex aſcenſione in cœlum iuſtitiam fidei demonſtrat idem Apoſtolus ad Roman.10. quòd noſtro nomine iuſtificatus eò aſcenderit, vt nobis gratis in eo iuſtificatis

de ascensu nostro non sit dubitandum: Quæ ex fide iustitia est, sic dicit, Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere. Et paulò pòst: Sed quid dicit: Propè est verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc est verbum fidei quod prædicamus. Item Ephes. 4: Cùm ascendisset in altũ captiuam duxit captiuitatem, id est, triumphauit de peccato quod nos tenebat captiuos, & de omnibus hostibus. Non desunt quidem hostes, peccatum, Satan, mundus: at nos non sumus amplius eorum captiui, sed populus iustificatus à peccato, ideoque liber à potestate Satanę: ipsi verò sunt captiui huius victoris ac triumphatoris Iesu Christi. Ascensio itaque Iesu Christi euincit eum, qui antea vt reus lęsæ maiestatis diuinę nostro nomine, qui reuera multis modis rei eramus Hoseę 6. v. 7. fuerat condemnatus, æternum Deum in carne manifestatum esse. Atque ita testimonium & ceu erectum vexillum est iustitiæ fidei, solennis hic triumphus Iesai. 9. & 11.

2. Ideo & Apostolus paria hęc facit, propter salutem nostram de cœlo descendere, & ea parta rursus ascendere: ac simul docet quæ sit illa persona, quæ tantum triumphum de peccato & Satana ascensione sua egit, inquiẽs, Porrò illud ascendit quid est nisi etiam quod descenderat in hos inferiores (nempe respectu cœlorum) partes terræ? E quo Spiritus sancti oraculo primùm pronunciato per os Dauidis de ęterno λόγῳ, deinde de eodem illo λόγῳ incarnato per Apostolos repetito constat

personam

personam illam, quæ ascendit in cœlum, non esse personam hominis per se subsistentis (neque enim caro Christi de cœlo descendit, multò minus homo per se subsistens, prout etiam λόγος carnem de cœlo secum non attulit, multò etiam minus hominem per se subsistentem) sed esse personam illam, quę de cœlo descenderat propter nostrā salutem ipsum λόγον ab æterno è Patris substantia genitū, per se subsistētē, qui assumsit humanā naturā quæ non à semetipsa sed à λόγῳ sustentatur in eaque per semetipsum ad Hebr. 1. & 2. expiato affectatæ maiestatis crimine nostro, cum suis fructibus, ascendit in cœlum cū semel assumto ac nunquam deposito summæ suæ humiliationis obedientiæque pignore: tantum abest vt secum hominem de cœlo attulerit, quē per inanem disparitionem deificârit. Ascendit ergo ad cælos, non vbi Deus verbum antè non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in Patre: sed vbi verbum caro factum antè non sedebat. Addit etiam Apostolus, Vt impleret omnia nempe quæ per Prophetas erant prædicta, & effunderet Spiritus dona, iisque Ecclesiam quoque impleret. Nā & hoc per Prophetas & per semetipsum erat prædictum & promissum. Vt autem carne & sanguine suo impleret omnia, ne tota quidem, vt sequentia satis euincunt. Et alios quidem, inquit, dedit Apostolos, alios Euangelistas &c. Ergo stolidè hîc disputaretur de maiestate Dei, reali transfusione communicata personæ hominis per ascensionem, vt hi titu-

li innuunt de maieſtate hominis Chriſti: Quia non eſt perſona hominis, quæ aſcendit, ſed ſecunda perſona in trinitate ipſe λόγος qui naturam humanam aſſumſit & retinet, neque duplici maieſtate diuina opus habet (quarum vnam transfuſione communicet humanitati, alteram ſibi retineat) prout nec duplici Deitate. Et ſub cœlo nihil poſſet dici magis impium quàm dicere duplicem eſſe Deitatem in Chriſto, vnam æterno λόγῳ propriam quam nemini communicet, alterã verò quæ ſit hominis Chriſti (Sic enim caro Chriſti non erit propria caro τοῦ λόγου veri Dei, & ſic omnia ſuperiora fundamenta fœderis concident) dicere, inquam, quod λόγος retinendo ſibi veram Deitatem ſuam quam ab æterno habet, & quæ tantæ eſt maieſtatis vt Angelos & homines, cœlum & terram, atque adeò carnem & animam Chriſti crearit, ſecundariam Deitatem (quod ex nefando illo dogmate ſequeretur) homini communicarit (Quid enim ſunt aliud proprietates eſſentiales Deitatis, quàm ipſa Deitas?) quæ reliquas proprietates diuinas carni communicaret præter has, ne aut caro ab æterno eſſet aut ſui ipſius creatrix, nec ex Patris ſubſtantia genita: reliqua omnia, Deus: (per transfuſionem ſcilicet reliquarum omnium proprietatum) Quæ quidem perſona hominis ita deificati (vt eiuſmodi fanatici volunt) non quidem reuerà aſcenderit, ſed diſparendo & inſinuando ſe in omnes creaturas,

vſurpa-

vſurparit ſuam iſtam maieſtatem diuinam quæ non creârit cœlum & terram. Quid hoc eſſet aliud quàm affirmare Chriſtum eſſe hominem per ſe ſubſiſtentem, & hunc hominem ſibi id vſurpaſſe, cuius conatus primum Adamum in æternum exitium præcipitauerit, atque nos omnes ipſo: & ſic Chriſtus cauſam exitij noſtri confirmaret, non tolleret. Quæ cùm ſint horrenda abſurdiſſima, horrendum quoque & abominabile eſt dogma ex quo ea conſequuntur nempe de duplici maieſtate Dei, vna quæ creârit cœlum & terram, altera quæ non creârit, nec ab æterno ſit, & reliquas tamen proprietates Dei habeat: quodque λόγος priorem maieſtatem carni non communicârit, alteram verò communicârit: quod eſt λόγον ipſum diſcerpere quantum in ipſis eſt, & vnionem quoque cum humana natura diſſoluere. Et ſanè ſi illam maieſtatem, qua λόγος eſt creator cœli & terræ, λόγος non communicauit carni: quam maieſtatem deſcribit Ioannes, quòd omnia per ipſum facta ſint, & tamen vt iſti volunt, λόγου incarnatio realis eſt maieſtatis communicatio, age quomodo λόγος dicetur incarnatus, cum ipſis confitentibus illam maieſtatem quam Ioannes deſcribit non cõmunicarit carni: neque enim audent carnem facere creatorem ſui ipſius.

3. Teſtificationem autem hanc ſolennem

debellati peccati & adductæ iustitiæ fidei ipsi' Creatoris æterni λόγε incarnati esse verā ascēsionem, nempe, in verum cœlum quod ipse condidit & à terra disiunctum esse voluit: nō autem in cœlum thalmudicum, vt Diabolus aliquot iam annos veram doctrinam de cœlo & ascensione Christi in cœlum calumniatus est, quo impleretur scriptura Apocal. 13. v. 6: Bestia aperuit os suum ad blasphemiam aduersus Deum, vt conuitiis afficeret nomē eius & tabernaculum eius (nempe cœleste Sāctuarium, vt sequentia declarant) & eos qui in cœlo habitant: ac nequaquam disparitionem esse præter scripturæ testimonia antè adducta, conuincit ipsius ascensionis descriptio à Spiritu sancto Ecclesiæ vsque ad ipsius reditum fidei oculis velut spectanda proposita Luc. vltimo cap. vbi Seruator noster sic ait: Ecce egò mittam promissum Patris super vos: vos autem manete in vrbe Hierosolyma vsque quo induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foràs Bethaniam vsque, & sublatis manibus suis benedixit eis. Et factum est cùm ipse benediceret eis: disiunctus ab eis sursum ferebatur in cœlum: ipsi autem adorato eo (vtique λόγῳ incarnato non homine deificato) reuersi sunt Ierusalem cum gaudio magno (quod est testimonium iustitiæ fidei, sine qua nullum gaudium esse potest) erantque semper in templo laudantes & benedicentes Deum, vtique pro excellenti illo dono adductæ æternæ iustitiæ fidei Dan. 9. Rom. 3. v. 10. Rom. 15. v. 6. 7. 8. 9. Continuatur descriptio ab eodem Euangelista

gelista Actor.1.v.4. Iesus congregatis eis denunciauit eis ne discederent Hierosolymis, sed expectarent promissum Patris, quod, inquit, audistis ex me. Nam Ioãnes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu sancto non multò pòst diebus. Cùm igitur illi conuenissent interrogarunt eum dicentes: Domine num hoc tempore restitues regnum Israëli. Dixit autẽ ad illos: Nõ est vestrũ nosse tẽpora siuę opportunitates, quas Pater in sua ipsius potestate posuit: sed accipietis virtutẽ Spiritus sãcti postquã superuenerit super vos, eritisque mihi testes in Ierusalẽ & in tota Iudæa Samariaque & ad vltimas terras. Et cùm hæc dixisset, aspicientibus ipsis eleuatus est: & nubes susceptum eum abstulit eum ab oculis eorũ: & cùm essent intentis in cœlũ oculis eo proficiscente, ecce viri duo astiterunt illis albo vestitu, qui & dixerunt viri Galilæi quid statis intuentes in cœlũ? Hic Iesus qui sursum receptus est à vobis in cœlũ, ita veniet quẽadmodũ cõspexistis eũ proficiscentẽ in cœlũ?

4. Quin & ipsius λόγȣ incarnati prædictio tã de ascensione sua quàm de reditu prorsus conuenit cum Euangelistæ descriptione & Angelorum testimonio. Ioan.14: Creditis in Deum & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, alioquin dixissem vobis: proficiscor paratur᾽ vobis locum, & cùm abiero & parauero vobis locũ, rursus veniam & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Et vt fiduciam in se verum Deũ in carne manifestatũ collocatã vult 1. Tim.3.v.16.

ita à Pseudochristis omninò eam auocat Mat. 24.v.23.24.25.26.

5. Ex qua prædictione & descriptione secutæ ascensionis apparet etiam hac de causa voluisse λόγον incarnatum verè in cœlum ascẽdere non euanescere seu disparere, vt Ecclesia sciret quò dirigenda sit inuocatio è fide iustificante manans ne fideles diffluerent in ligna, lapides, conclauia Christum adoraturi, sed vt ipsis cõstaret vbi sit τοῦ λόγου proprium templum in quo solo Deus vult adorari, vtpote quod Solomonici illius templi est veritas Ioã.2.& 4.v.22.23.24. Denique vnde expectãdus sit iustificans & glorificans Ecclesiam Redemtor. quia vbi thesaurus noster, ibi & cor nostrum ad Philip.3.1.Th.1. Nec sanè frustrà in descriptione dicitur Apostolos Christo proficiscente in cœlum, adorato eo reuersos esse. Et in prædictione Christi: vbi cadauer, ibi aquilæ.

6. Ad alteram fœderis gratuiti partem de inscriptione legum Dei in corda: qua idonei reddimur ad possidendum hæreditatem cœlestem, sic facit Christi in cœlum ascensio: Primùm quia est aditio hæreditatis cœlestis fratrum nomine vt inde primitias Spiritus electis mitteret arrhabonẽ hæreditatis cœlestis, per quem suos & futuræ hæreditatis certos & ad eius possessionem idoneos redderet. Caro enim & sanguis non possunt hæreditate regnum Dei consequi, nempe tantisper dum sunt corrupta necdum renouata. Ideo semetipsum explicans Apostolus addit, Nec corru-
ptio in-

ptio incorruptæ naturæ hæreditatem 1. Cor. 15.v.50.53: Deinde vt eam in sua quoque persona certá & contra omnes hostes atque Satanæ insultus tutam continuata à se eius possessione ipsis conseruaret Ioan.14.v.1.2.3.4.

Dicam paulò fusius. Sicut cœlestis Pater in λόγῳ incarnato nos reconciliatos sibi gratis adoptauit: ita & hæreditatem cœlestem nostro nomine ipsũ adire voluit. Etsi enim λόγος est hæres omnium vt filius ab ęterno genitus, tamẽ quia sicut per λόγον absque nostra carne adoptio ad nos peruenire non poterat, ita nec hæreditas: ideo intuendus est nobis λόγος vestitus suis promissionibus vt manifestatus est in carne seu vt semen Abrahæ assumsit: tum deprehendent illud semen cui soli facta est iuramento cœlestis hæreditatis promissio, ideoque omnes electos tam ex Iudæis quàm ex gentibus per Spiritũ huic semini inseri oportere tanquam capiti, vt promissa hæreditas ad eos perueniat, dum nimirum censentur in vnico illo semine. Id manifestè docet Apostolus ad Gal.3.v.16. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Nõ dicit, Et seminibus, vt de multis, sed vt de vno: Et, In semine tuo qui est Christus. Et vers. 26. 29. Omnes Filij Dei estis per fidem in Iesum Christum. Item, Omnes vos vnus estis in Iesu Christo. Quod si vos estis Christi, nempe Abrahæ semen estis, & secundum promissionẽ hæredes. Item ad Galat.4. vers.28.29. Roman.9. vers. 6.7.8.

Huius hæreditatis cœlestis semini Abrahæ

promissæ typus erat terra Canaã Heb 6. v.17. 18.19.20. Noluit igitur Deus fideles in typo hærere, sed fide in cœlum erectis animis esse. Quod constat ex cap.11. ad Heb.v.13.14.15.16. Et Genes.47.v.30.31.Et cap.50.v.24.25. Itaque λόγος incarnatus adeundo in carne Abrahæ cœlestem hæreditatem, omniũ membrorum seu fidelium nomine, qui per vinculum Spiritus in eo semine censentur, eam adit Galat.4.vers.28.29.Roman.9.vers.7.8. Quæ etiam causa est cur Apostolus asserat nos non nuda spe cœlum expectare, sed in capite nostro Christo quodammodo iam possidere: Vnà,inquit, collocauit nos in cœlis in Christo Iesu ad Eph.2.v.6.Sic igitur nostro nomine adiit hæreditatem, quæ nec perire potest, nec contaminari,nec marcescere nobis in cœlis seruatam.1.Petr.1.vers.4 : & misso inde ad nos arrhabone fecit vt & nos eam animo fideli in Christo iam adierimus,donec corporibus & animabus plenè ad eam posidendam renouatos in eã nos inducat. Etenim quia eã in carne nostra possidere nõ possumus tantisper dum est corrupta:(oportet enim symmetriam aliquam seu proportionem esse inter corpora nostra, & hæreditatem illam quam possidere debent:quod Paulus his verbis docet, Caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi, nec corruptio hæreditatem incorruptæ naturæ :) ideo λόγος incarnatus ita per adoptionis Spiritum nos eius certos facit, vt eius suauitate etiam alliciat, & proposita ea, vt cursus nostri & certaminum

num βραβείῳ atque gratuita pietatis mercede (Philip.3.v.14.1.Cor.9.v.24.1.Petr.1.v.6.9.) ad progressus in renouatione ad Dei imaginem animet, certos à se factos plenæ eius secuturæ fruitionis. Quæ copiosa erit compensatio molestiarum quas tam pro defensione & propagatione gratuitæ iustitiæ fidei (Dã.12.) quàm in pugna contra peccatum & carnem fideles sustinent. Pedibus igitur in terra versantes, animo in cœlum erecto læti expectant dum Christus suum opus in ipsis coronet. Philip.2.v.9.10.

Interest autem gloriæ capitis vt omnia mẽbra collecta simul, ipsis etiam corporibus renouata, in hæreditatem cœlestem introducat, vt docet Apostolus 2.Thes.1.v.10.Heb.11.v.39.40.Et Apocal.cap.6.v.11.Ideo patienter ferunt fideles peregrinationem à Domino quoad corpus 2.Corinth.5.vers.6. Philipp.2.v.22.23.24.25.1.Thessal.4.v.17.18. Et in testamento Christi consolari se vult fideles Paulus glorificando Dominum pro sua morte donec veniat, introductum nimirum eos in hæreditatem cœlestem, vnde venturus est.

7. Distincta autem (licet nõ diuulsa) est ascensio à sessione ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Quod cùm ex aliis tum ex his locis est manifestum Marc.16: Dominus postquam locutus fuisset iis sursum receptus est in cœlum, & sedit ad dexteram Dei: 1.Petr.3. vers.22: Qui est ad dexteram Dei profectus in cœlum, subiectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus. Nam & Angeli, qui

de eius aſcenſione & futuro reditu teſtificati ſunt in cœlum aſcenderunt (& quidem antea aſcenderant ſubinde Ioan.1. v.52: Amen amen dico vobis: deinceps videbitis cœlum apertū & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis. Et apud Luc. in paſſione Domini ca.22.v.43. apparuit ei Angelus è cœlo corroborans eum) ſed nō conſederūt ad dexteram Dei. Cui enim Angelorum vnquam dixit, Sede ad dexteram meam, Heb.2. Ergo aſcenſio quidē cum λόγῳ incarnato ipſis eſt communis (ſi veram loci mutationē ſpectes) ſed hoc Filio Dei proprium eſt quod is, expiatione peccatorum per ſemetipſum facta vt Dominus peccati & mortis aſcendit: hi verò vt adminiſtratorij Spiritus iſtius Domini. Is ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: hi verò non item, ſed ſubiecti ei ſunt Angeli & principatus & poteſtates, vt Petrus loquitur. Denique Domini aſcenſio ſemel facta eſt, Seſsio ad dexteram continenter durat. Differunt igitur aſcenſio & ſeſſio ad dexteram.

ALTERA PARS SEXTI ARTICVLI

Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

8. ANTEQVAM autem oſtendamus quomodo ſeſsio Chriſti ad dexteram Dei Patris omnipotentis ad vtramque fœderis gratuiti & ſponſionis Chriſti partem faciat, operæprecium erit deſcriptionem ſeſſio-

ſeſſionis ad dexteram Dei patris è Dei verbo præmittere: deinde promtum erit eam ad vtramque tum fœderis, tum ſponſionis Christi partem adhibere. Seſsio Christi ad dexteram Patris omnipotentis ſic deſcribitur in ſacris literis Pſalm. 110: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedũ tuorũ: Et paulò pòſt, Iurauit Dominus & nõ pœnitebit eũ: Tu es Sacerdos in ęternũ ſecundũ ordinem Melchiſedech. Hoc explicans Petrus Actor. 2. ait; Itaq; dextera Dei exaltatus & promiſſum Spiritum Sanctum adeptus à Patre effudit hoc quod vos nũc ſpectatis & auditis. Neq; enim Dauid aſcendit in cœlos: ſed dicit ipſe: Dixit Dominus Domino meo: ſede ad dextrã meã: donec ponã inimicos tuos ſcabellũ pedũ tuorũ. Heb. 1. v. 3. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & Character perſonæ illius ſuſtineatque omnia verbo illo potẽtiæ ſuæ purgatione peccatorũ noſtrorũ per ſemetipſũ facta ſedit ad dexterã Patris in excelſis. Eph. 1. v. 20. Quẽ collocauit ad dexteram ſuam in cœlis ſupra omne imperium ac poteſtatem & potentiam & dominiũ & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo ſed etiã in futuro. Et omnia ſubiecit eius pedibus, eũque cõſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ quæ eſt corpus ipſius & complementum eius qui implet omnia in omnibus Coloſ. 3. verſ. 1. Itaque ſi reſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens

1.Pet.3. Qui est ad dexteram Dei profectus in cœlum subiectis sibi Angelis & potestatibus ac virtutibus Hebr.9.v.1.Igitur habebat quidem & prius fœdus constitutos religionis ritus & sanctuarium mundanum. Tabernaculum enim constructum fuit: prius quidem in quo erant lucernæ & mensa & propositi panes,quod Sancta vocant. Post medium autem velum erat tabernaculum quod vocant Sancta Sanctorum. Et vers.6.7.11.12. His autem ita ordinatis in prius quidem tabernaculum quouis tempore ingrediuntur Sacerdotes qui ritus obeunt :in secundum autem semel quotannis solus Pontifex, non sine sanguine quem offert pro seipso & pro populi peccatis. Adueniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum per maius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius structuræ, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sacrarium, æternã redemtionem nactus. Et deinceps v.24. Non enim in manufactum Sacrarium ingressus est Christus, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu Dei pro nobis.

9. Ex hac descriptione quæ meris verbis scripturæ cõstat, perspicuum est primùm quæ sit illa persona de qua prædicatur exaltatio ad dexteram Dei Patris: nempe persona ab ęterno è substantia Patris genita, habens sibi vnitam non personam è semine Dauidis, sed humanã naturã quæ persona erat Dominus Dauidis iam tum, cùm Dauid ista per Spiritum loquere-

loqueretur, Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis &c: & iam eſt & manet Dominus Dauidis vt λόγος incarnatus è ſemine Dauidis. Et de λόγῳ incarnato è ſemine Dauidis exaltando iſta Spiritu Prophetico prædixit Dauid, vt etiam Petrus teſtatur Act. 2. v. 24. & 26. Quemadmodum enim λόγος ſimpliciter & ſine carne non potuit humiliari, ſed aſſumendo carnem inanit ſe & humiliat vſque ad mortem: ita & λόγος abſque carne non potuit exaltari, ſed incarnatus potuit: propterea eadem perſona quæ ſe inaniuerat aſſumendo ſemen Dauidis & implendo in illa infirmitate carnis, quæ ad ſatisfactionem pro peccatis noſtris requirebantur, eandem naturam humanam ſeu idem Dauidis ſemen retinendo exaltata eſt, & datum eſt huic λόγῳ incarnato Domino Dauidis nomen quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu flectatur omne genu, id eſt omnia Deo in carne manifeſtato ſubiiciantur, cumque λόγον incarnatum adorent. Ergo perſona exaltata ad dexteram Dei, non eſt ſimpliciter λόγος nec hominis perſona, ſed perſona quæ eſt æternus λόγος incarnatus. Quod luce meridiana clarius eſt ex verbis Pauli ad Hebr. 1.: Filius per quem ſecula condidit & qui, expiatione peccatorum per ſemetipſum facta, conſedit ad dexteram maieſtatis in excelſis: Vbi ſeſſio ad dexteram maieſtatis in excelſis Filio incarnato diſertè adſcribitur.

10. Deinde & alterum è deſcriptione ex ſcripturæ verbis poſita non minus eſt mani-

festum, sessionem Christi ad dextram Patris omnipotẽtis esse exaltationem λόγυ incarnati in sacerdotio & regno: & continere duas partes: prior est locus honorificentissimus in quem exaltatus est: altera est coram Angelis & beatis hominibus palàm declarata potestas officij, sistendi se in conspectu Patris vt æternum Sacerdotem: & administrandi omnia in cœlo & in terra vt æternũ Regem Ecclesiæ. Exaltatio (quo verbo vsus est Petrus Actor. 2. ver. 33. Et Paulus eodem sed paulò maiore emphasi, altior cœlis factus Hebr. 7. vers. 26.) disertè exprimit euectionem ad loci dignitatem in Excelsis, Angelis cum Filio Dei haud quaquam communem. Et hoc est quod scriptura ait, Ascendisse eum longè supra omnes cœlos: quo actus ascendendi in cœlos nõ negatur, sed maior euectio notatur, ipsa nempe exaltatio in locum altissimum dignitatis summæ. Ideò etiam locus ille vocatur in Excelsis Hebr. 1. v. 3. Et in excelsissimis. Et in testimoniis positis in descriptione vocatur locus cœleste Sanctuarium in quo est lux inaccessa in qua habitat Deus, 1. Tim. 6. v. 6. vt Angeli facies suas obuelent seu tegant, id quod in Sanctuario manufacto Angelis alis facies suas tegentibus erat adumbratũ coram propitiatorio representante Christum, quem proposuit Deus propitiatorium Roma. 3. vers. 25. Atque ita in descriptione è testimoniis scripturæ posita inuenies & verbum ipsum Exaltandi, & locum à terra distinctum semper

per coniungi cum palàm declarata potestate officij.

11. Hæc igitur prima exaltationis in summũ honoris gradum pars est: sequitur altera, quæ est palàm declarata officij sacerdotalis & Regij potestas, qua non, vt antè, in infirmitate & inopia, sed in manifesta ac palàm declarata maiestate & gloria Sacerdotale & Regiũ munus administrat: hoc est vtramque tum mandati à Patre accepti, tum Sponsionis suæ partem, & de æterna nostri cum Deo reconciliatione conseruanda atque continuanda: & instauratione quoque nostri ad Dei imaginem Epes.1.vers.20.21.22.13. Item Hebr.8. vers.10. Itaque tum demum verè credimus in λόγον incarnatum sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis, cùm credimus eum in cœlesti Sanctuario in luce illa inaccessa siue in altissimis intercedere pro nobis in summa ac palàm manifestata gloria: summaque cum potentia regnum suum administrare, ita vt Spiritu suo quàm efficacissimè promissionem gratiæ de abolita peccatorum memoria cordibus nostris obsignet, indiesque ad sui imaginem sibi insitos longè efficacius renouet atque gubernet, quàm si etiamnum corpore suo in terris esset, transfusa nimirum è cœlis in subiecta membra sua virtute: prout efficacissimã hanc operationem Christi in exequenda vtraque fœderis parte disertè proponit Petrus Actor. 5: Hunc Deus dextera sua exaltatum constituit principem ac Seruatorem, vt det Israeli

resipiscentiam & remissionem peccatorum.

12. Ac primùm quod attinet ad exaltationem Christi in Sacerdotio, oportebat λόγον incarnatum postquàm defunctus erat iis Sacerdotij partibus, quę in inanitione sui in terra ei obeundæ erant, non tantùm ascendere in cœlum, sed ingredi in cœleste Sanctuariũ, vbi est lux inaccessa, vt reliquas etiam obiret Sacerdotij partes, quæ secundum æternum Dei decretum iureiurando ei erant impositæ Psal. 110: Iurauit Dominus & non pœnitebit eũ: Tu es Sacerdos in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedec. Hunc ingressum & mansionem ibidem requirebat vtraque pars sponsionis suæ. Primùm enim cùm Christus sponsor esset noui testamenti, qui sponsam suam Ecclesiam electam iustificaret non ab vno aut altero, sed ab omnibus peccatis, non semel sed continenter: ideo oportebat Christum non modò ascendere in cœlum, qui ascensus ei cum Angelis esset communis, sed in Sancta Sanctorum ingredi in lucem illam inaccessam, cum ea ipsa corporis & sanguinis sui victima, quam in terra cum intercessione pro nobis obtulerat, & sine interruptione vlla comparere pro nobis, vt vis semel oblatæ victimæ perpetuò vigeret, atque ita in æternũ præstaret id, ad quod spondendo se obligarat, vi nimirum per & propter ipsum omnis peccatorum nostrorum memoria abolita maneret: quod ex ordine seu decreto sapientiæ ac iustitiæ diuinæ fit, ipso Sacerdote cum semel oblata victima in conspectu Dei sine interru-

terruptione vlla pro nobis apparẽte. Et quàm hoc ſit operæprecium imò neceſſarium, vel ex eo æſtimetur, quòd ſingula peccata etiam electorum æternas merentur pœnas. Quantum igitur remedium & quàm continuum tot ac tantis electorum peccatis, quæ tot merentur ſingulis horis damnationes, eſt opponendum? Quantum neceſſe eſt pondus huius interceſſionis eſſe quod tantis malis præponderet? Rom. 8. v. 33. 34. Deinde in æternum ita cõſeruata iuſtitia oportebat etiam ſummum Sacerdotem interceſſione ſua glorioſa in cœleſti Sanctuario obtinere promiſſum nobis Spiritum ſanctum qui nos fide & reſipiſcentia donaret, in iiſque vſque ad finem conſeruaret, ſicut ait Chriſtus Ioann. 14. verſ. 16: Ego rogabo Patrem & alium conſolatorem dabit vobis vt maneat vobiſcum in æternum, nempe Spiritum illum veritatis quem mundus nõ poteſt accipere. Et v. 26. Conſolator autem ille Spiritus ſanctus, quem Pater mittet in nomine meo, vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.

13. Quæ interceſſio glorioſa eſt oſtenſio λόγου incarnati coram Patre in cœleſti Sanctuario in excelſis, vt efficacia ſacrificij ſemel cum deprecatione in terris oblati perpetuò vigeat: ac ſimul eſt perpetua voluntas ſeruandi in hoc Mediatore, conſentiens cum voluntate Patris acceptante pro æterna reconciliatione ſemel oblatum ſacrificium & approbante hoc ſtudium ſeruandi in Mediatore ſecundum iuſiurandum: Iurauit Dominus & non

pœnitebit eũ: Tu es Sacerdos in æternũ &c.

De ostensione Christ in cœlesti sanctuario coram Patre, & perpetua efficacia semel oblatæ victimæ extat testimonium ad Hebr. 9. v. 24. Non in manufactum sacrarium ingressus est Christus quod sit exemplar vero sacrario respondens: sed in ipsum cœlum vt appareat in conspectu Dei pro nobis, idque sine interruptione vlla cap. 7. vers. 3.

De voluntate etiam seruãdi in Filio & voluntate acceptante in Patre, testatur iusiurandum cuius Deum non pœnitebit Psal. 110: & per consequẽs nec Filium pœnitebit suscepti muneris æterni Sacerdotis. Ideo 1. Ioann. 2. ait: Filioli mei hæc scribo vobis ne peccetis: Quod si quis peccauerit aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solùm, sed etiam pro totius mundi. Affirmans nos aduocatum habere apud Patrẽ Iesum Christum iustũ qui sit propitiatio pro peccatis, docet, quòd λόγος incarnatus visibilis & palpabilis (vt antè eum nominarat 1. cap. versu 1. 2. 3.) cum summæ humiliationis obedientiæque pignore, eoque iustissimo & cum æterno studio seruandi (quod aduocati titulo graphicè describitur) se sistat in conspectu Patris, vt propitiatio sit perpetua: vt Pater intuens nos in λόγῳ illo incarnato iusto semel oblato & continenter intercedente, iram suam à peccatis nostris auertat atque ita singulis momentis dies & noctes (quia sine interruptione pro nobis apparet) nobis

sit

sit propitius: cùm alioqui Sacerdotes veteris testamenti non possent dies & noctes cũ sanguine propitiationis coram propitiatorio in sacrario in cõspectu Dei stare: sed cùm semel quotannis in Sancta Sanctorũ ingressus pontifex cum sanguine propitiatoriæ victimæ in conspectu Dei pro peccatis populi apparuisset, rursus egrediebatur, atque ita intercessionem seu apparitionem coram Deo cogebatur interrumpere, tum propter carnalis mandati infirmitatem, tum ipsius Sacerdotis, qui ob fragilitatem perpetuò ibi intercedere nõ poterat, imò nec mors ipsa vnum eundemque perpetuò manere sinebat ad Hebr. 10. vers. 23. Quæ cùm in Christo intercedente locum non habeant ad Hebr. 7. vers. 24. 25. 26, continuò ἐς τὸ διηνεκὲς, hoc est, sine interruptione vlla durat ipsius coram Patre intercessio, vt eleganter loquitur Paulus ad Hebr. 6. versic. 11. 12.

14. Cum igitur vtraque fœderis pars post confirmationem per mortem seu vnicam oblationem in terra factam, æternam conseruationem & continuationem in cœlesti Sanctuario ex immutabili decreto & iuramento Dei requireret, optimo iure asserit Paulus summum Sacerdotem post impletas in terra Sacerdotij sui partes amplius cum sua victima atque dono in terra haud quaquã manere oportuisse, ad Hebr. 7. v. 26. Et cap. 8. v. 1: Talis nos decebat pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & sublimior cœlis factus. Eorum autem quæ di-

cimus hæc eſt ſumma: Talem nos habere Pontificem qui conſedit ad dexteram throni maieſtatis in cœlis, ſanctuarij miniſter, ac veri illius tabernaculi quod fixit Dominus & non homo. Et v. 4. addit: Nam ſi in terra eſſet, ne Sacerdos quidem eſſet manentibus Sacerdotibus illis, qui ſecundum Legem offerunt dona, vt qui exemplari & vmbræ deſeruiunt rerum cœleſtium. Affirmat Spiritus ſanctus Chriſtum non modò non ſummum Pontificem, ſed ne Sacerdotem quidem omninò fore, ſi poſt conſummatum ſacrificium in terra adhuc eſſet: Rationem hanc aſſignat: Quia nec eſſet Sacerdos ſecundum ordinem Leui, nec ſecundum ordinē Melchiſedec, & ſic omninò non Sacerdos. Etenim Sacerdos ſecundum ordinem Leui non eſſet, quia Dominus non erat ex tribu Leui, ſed ex tribu Iehuda, vt antea demonſtrauerat Apoſtolus capit. 7. v. 11. 13. 14. deinde etiam non eſſet Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec: quia is poſtquam vnica corporis ſui oblatione omnibus illis typicis victimis finem impoſuiſſet, velo templi ſciſſo, per proprium ſanguinem in Sanctuarium non manufactum, in ipſum cœlum ingredi debebat. Quod ſi igitur poſt oblatum ſacrificium corpore ſuo adhuc in terra eſſet, vtique in ipſum cœlum ingreſſus non eſſet, atque ita nec Sacerdos eſſet ſecundum ordinem Melchiſedec, quem ex decreto diuino atque iuramento, poſt impletas Sacerdotij ſui in terra partes, in cœleſti Sanctuario æterno Sacerdotio, & quidē ſine interruptione fungi oporte-

oportebat. Atque hæc necessitas non est coa-ctionis, sed consequentię, pendẽs ab immuta-bilitate decreti diuini, & forma Dei immuta-biliter veraci cùm in verbis suis omnibus, tũ in iuramentis vel imprimis, quæ in hunc finẽ adhibet, vt & immutabilitatem consilij sui o-stendat, & nos validã consolationẽ habeamus ad Hebr. 6. v. 17. 18. 20. Vtramque impletio-nem tum eorum quæ in terra peragenda erãt summo Sacerdoti, tum eorum quæ postea in cœlis continenter & sine interruptione vlla vsque ad tempora restitutionis omnium ob-eunda disertè posuit Petrus Actor. tertio: priorem quidem vers. 17. 18: alteram verò v. 19. 20. 21. inquiens: Sed nunc fratres scio per ignorantiam vos ista fecisse, sicut & primo-res vestros: Deus autem quæ pronunciauerat per os omnium Prophetarum suorum, Chri-stum passurum, ita impleuit. Resipiscite igitur & conuertimini vt deleantur pecca-ta vestra postquam venerint tempora refri-gerationis à conspectu Domini, & miserit prænunciatũ vobis Iesum Christũ: Quẽ opor-tet quidẽ cœli capiant vsque ad tẽpora resti-tutionis omniũ quæ prædixerit Deus per os omniũ Sanctorũ suorũ à seculo Prophetarũ.

15. Ergo sine euersione immutabilis decre-ti Dei sine labefactatione ipsius iuramẽti, at-que ita sine labefactatione naturę Dei sapien-tis, constantis ac veracis, denique sine abnega-tione ipsiusmet Sacerdotis Christi, nemo co-nari potest summũ illũ Sacerdotem cũ semel oblato suo corpore & sanguine è cœlo in

terram pertrahere: quorum malorum se reos faciunt omnes qui tale facinus conantur, vt Spiritus sancti oracula locis iam citatis euincunt: Quæ maioris sunt ponderis, quàm vt vilis Antichristi vertiginosis næniis eludi possint, quibus ceu magicis carminibus totum Dei fœdus, & Christum cum cœlesti Sanctuario frustra conatur euertere, quod iuramento Dei vnà cum perpetuo Sacerdotis officio in cœlesti ipsius throno stabilitum Sole & Luna perstat firmius, vt Spiritus Sãctus docet Psal. 89. 110. 118. Et sanè calices illi aurei quibus cruor Christi non cruentus (dicunt enim se vinum in cruorem transsubstantiare & tamen esse incruentum) denuò Patri offertur in sacrificium propitiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, pocula illa Babylonica sunt, quibus meretrix purpura induta, ebria sanguine Martyrum Iesu inebriauit Reges terræ Apocalyp. 17. vers. 4.5. 6.14. 15.16.18. Et cap.18. vers. tertio, octauo, 20.21. Et cap.19.v.2.3. Quæ pocula adeò non reformidat æterni fœderis inconcussa veritas, vt poculis illis vnà cum scorto & scortatoribus à Mediatore æterni fœderis in ignem æternũ abiectis, cœlo terra & mari gaudentibus, nec istius meretricis abominationes cœleste sanctuarium euertisse, nec ipsius incantationes Spiritus Sancti oracula soluisse, denique frustra impeti cœlum à locustis in terra, palàm demonstraturus sit summus ille Sacerdos & Rex Ecclesiæ. Vicit enim Leo de tribu Iuda, è qua tribu nemo altari seruiuit. Hebr. 7. v. 13:

multò

multò verò minus ipse Dominus è tribu Iuda à scorti Babylonici Sacerdotibus in altaribus ad suã Missam atq; ita crucis Christi abnegationem erectis vult sacrificari, prout nec mactari, altius confidens, quàm vt manus eorum impuræ ad ipsum pertingant.

16. Adhuc de exaltatione Christi in Sacerdotio: Sequitur eius exaltatio in regno, quid ea sit & quomodo ad vtramque fœderis partem faciat.

Exaltatio Christi in regno est collocatio eius in throno maiestatis in excelsis Hebr. 1. & euectio in summum illum honoris gradũ, vt λόγος incarnatus palàm in cœlesti gloria coram Angelis & beatis hominibus se Regem & caput omnium Electorum in summa luce demonstret: & transfusa inde ad nos sua virtute maiore efficacia, quàm cum corpore suo præsens in terra esset, electos sibi vniat, cognitionemque sui in iis per verbum & Spiritum operetur: per quam & pacem æternam iis conferat, quæ oritur ex iustitia fidei Rom. 10. vers. 15. 18, & ad regnum gloriæ eos instauret atque conseruet Actor. 2. vers. 41. 46. 47. Ergo Christus non tantùm vt propitiatio nostra apparet, & rogat Patrem vt pro Sacerdotis officio Spiritum sanctum impetret: sed etiam vt Rex Ecclesiæ, Rex, inquam, iustitiæ, pacis, atque salutis eum mittit.

Prior exaltationis pars ad locum nẽpe thronum maiestatis in excelsis, intelligitur ex illa voce Christi, Induemini virtute ex alto Luc. 24. vers. 49: Et negatione loci illius

in cœlis demonstrat Petrus de Rege Dauide non posse intelligi hæc. Sede ad dexteram meam, quia, inquit David, non ascendit in cælos. Ergo locus cœlestis includitur in quem vt David ascensione non evectus est, ita nec de eo dictum hoc potest accipi: Sede ad dexteram meam.

Altera verò exaltationis pars nempe ibidem in excelsis palàm manifestata regia in cœlo & in terra dominandi potestas per verbum & Spiritum suum è testimoniis in descriptione sessionis ad dexteram Dei Patris positis plus quàm manifesta est Iesai. 11. v. 4. 9. 10.

17. Vtramque verò partem exaltationis Christi in suo regno ad fœdus gratuitum in æternum conseruandum & regia potestate nobis communicandum summè fuisse necessariam sapientissimo & immutabili Dei decreto his verbis docet Christus Ioan. 16. Ego veritatem dico vobis: Expedit vobis vt ego abeam: nisi enim abiero, Consolator non veniet ad vos. Quo palàm asserit decreto Dei ita constitutum esse, vt Christus postquàm abiisset in cœlum, & exaltatus esset in suo regno cum munere, ideoque expedire vt mundum hunc inferiorem relinquat (vt 14. capite loquitur) & abeat in domum Patris: etsi id non fiat, sed in terra corpore suo maneat, decretum Patris obstare ne Spiritus Sanctus veniat. Effusio enim Spiritus & per eundem propagatio regni Christi vsque ad vltimas terras debebat esse testimonium exaltati Messiæ in Sacerdotio & regno, siue effectus ille debebat testifi de causæ, vt electi ex illo præstanti dono Spi-

ritus Sancti è cœlis missi. (1. Pet. 1. v. 12.) cognoscerent se per incarnatum summum Sacerdotem intercessione in summa gratia & gloria apud Patrem, & ex dono Patris cognoscerent Patrem ipsis plenè reconciliatum. Ipsum Regem Christum donum hoc quod communiter cum Patre mittit ut reconciliationem sentiant, efficere. Inde apud Zachariam Spiritus qui effunditur, Spiritus gratiæ & precum vocatur. Et sane dum Rex Christus paracletū promittit, Consolatorem promittit qui testetur de iustitia fidei, qua corda nostra consolatur aduersus peccata, & quasuis ærumnas. Ille, inquit, testificabitur de me.

18. Deinde hæ regni Christi primitiæ à dextera Dei missæ testari debent de altera quoque fœderis parte eamque in effectum deducere, nempe exaltatum esse per incarnatū ad thronum maiestatis in excelsis (in quo throno carne sua non erat, sed in præsepi cum Angeli canerent, Gloria sit Deo in altissimis) quo post reconciliatum mundum Deo omnia innouet, ut sicut omnia per eum facta sunt, ita quoque per eum instaurentur & gloria ornentur, quæ Pater instaurare decreuit. (Vnde Petrus, Spiritus Dei, qui est Spiritus gloriæ quiescit super vos) facto renouationis initio ab homine, à quo cæteræ creaturæ corruptibiles in exitium sunt inuolutæ, cuius instaurationis testimonium sit illa effusio Spiritus, quod opus creationem ipsam cœli & terræ superat: imprimisque vero cum oceat adisu esse regnum cœleste illorum bono quibus primitiæ illæ mit-

tuntur. Rom. 8. verſ. 19. & 23.

19. Poſtremò effectus hic debebat teſtari de cauſa totali noſtræ ſalutis, nempe λόγον hūc incarnatum datum eſſe populis in fœdus Ieſ. 49. v. 8. & 55. v. 4. & cap. 61. v. 8. Ioel. 2. Et extra hunc non eſſe ſalutem Actor. 2. verſ. 33. 36. & cap. 10. verſ. 44. 45: nec guttam ſalutis aut boni alicuius in quoquam eſſe quæ non ab ipſo fluat. Vt aut omnibus hominibus in peccato & exitio, ſub quo naturâ cōcluſi ſunt, vt nihil aliud accedat, in æternum ſit manendum & pereundum, aut ad hunc Sacerdotem & Regem conſtituentem fœdus gratuitum merito & efficacia, & in hunc finem intercedentem & regnantem ad dexteram Patris confugiendum Actor. 4. verſ. 11. 12. Etenim euincit omnem Deitatis plenitudinem corporaliter in Chriſto habitare, cùm is de Spiritu ſuo effundat tanta copia. Cùm enim omnis plenitudo Deitatis Patris ſit ipſa plenitudo Deitatis perſonæ τοῦ λόγου per generationē æternam, & Spiritus Sanctus etiam ita procedat à Patre & Filio, vt nihilominus ſemper in vtroque reſideat, nec communicetur à Patre cuiquā, nec ſeipſum etiam cōmunicet, niſi per & propter λόγον incarnatū, ſeu in corpore aſſumpto perſonaliter habitantem: meritò dicit Apoſtolus omnem Deitatis plenitudinem in Chriſto habitare in eoque nos eſſe cōpletos. Col. 2. ver. 9: & contrà qui ab eo ſunt alieni omni ſalute, quæ in Deo eſt, prorſus deſtitui. Et vt ex effectis effuſi Spiritus, quæ fideles experiuntur, eos attollat ad fontem, vnde illa

manant,

manant, nempe λόγον incarnatum regnantē ad dexterā Patris, ideo addit v.10. Qui est caput omnis imperij ac potestatis. Sic etiam ex missione Spiritus Sācti & testimonio Dauidis de sessione Messiæ ad dexteram Patris infert Petrus Act.2.v.33.34.35.36. Et cap.4. vers.11.12: Hic est lapis ille pro nihilo habitus à vobis ędificātibus, qui factus est caput anguli: nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomē est sub cœlo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari.

20. Præcipuus igitur fructus exaltationis Christi in suo regno est quòd soli Christiani Deum rectè agnoscunt, inuocant & celebrāt. Ideo enim Pater collocauit λόγον manifestatū in carne ad dexteram suam lōgè supra omnes Angelos, vt ab Angelis & hominibus agnoscatur, adoretur & celebretur, vt Deus & caput ipsorū, in quo solo vult agnosci & celebrari: & contrà execratur omnes alios cultus, qui ad Christum non dirigūtur. Vult nos confugere ad hoc propitiatorium & per hoc solū recōciliari & exaudire Rom.3. v.25.26. Vult per & propter hunc Regem solum dare Spiritū Sāctum. Etenim cùm omnis plenitudo Deitatis in Christo corporaliter habitet (vt antea ex epistola ad Coloss. cap.2. ver.9. ostensum est) certum est eos qui extra Christum Deum quęrūt ibi eum non quærere, vbi vult se inueniendū præbere atque fidelibus cōmunicare: Et cùm Deus nō aliter velit quæri nec inueniēdū se præbere quàm in proprio suo tēplo, inde colligimus hāc regni Christi esse naturā

vt electos à terra & rebus terrenis abstrahat, & ad ea quæ sursum sunt ybi Rex ipsorum Christus est ad dexteram Dei Patris sedens, euehat, vt deinceps docet idem Apostolus in eadem epistola, nempe ad Colos. cap. 3. vers. 1. 2. 3. Et 1. Corinth. 1. vers. 5. 6. 7. 8. 9. Et 1. Thess. 1. vers. 8. 10. Etsi enim verbo & Spiritu suo ad nos vsque descendit, nosque corpori suo in cœlesti maiestatis suæ throno manenti vnit: tamen ita id facit, & in hunc finem, vt neque corpore suo è cœlesti maiestatis suæ throno descẽdat, neque nos ipsum ex alto deducere velit Rom. 10. v. 35. 36. 38. 39. 40. 42. 43. sed potius vt nos sursum ad se attollat. Sic templum erat signum præsentiæ Dei, vt tamen Dominus sursum in cœlum fidelium animos attolleret; sic vt testatur Spiritus sanctus per Salomonẽ 1. Reg. 8. v. 35. 36. 38. 39. 40. 42. 43: multò magis nunc testimoniis fœderis sui sursum nos euehit, postquam sublata vmbra typici regni, verum Dauidis regnum stabilitum est in throno maiestatis in excelsis, verũque Deitatis templum è carne Solomonis assumtum (2. Sam. 7. ver. 11. 16.) & æterno λόγῳ vnitum, euectum est in cœlum ad dexteram Dei. Atque illud ipsum est quod Christus ait ad Samaritanam Ioan. 4. v. 21. Mulier crede mihi venit hora, quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Et v. 23: venit hora & nunc est, cùm veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Etenim Pater tales quærit qui ipsum adorẽt. Et antea v. 22. dixerat: vos adoratis quod ne-

ſcitis: nos autē adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Quod ait, Vos adoratis quod neſcitis, reiicit Samaritanorum inuocationem, licet ſe Deum adorare dicerent. Ratio quam aſſignat: quia ſalus ex Iudęis eſt, oſtendit Deum non aliter quàm in carne quæ à λόγῳ in vnitatem perſonę aſſumpta ex Iudęis ortum & originem habet (Rom 9. v. 5.) quęri & adorari velle. Et veri adoratores adorant Deum in Spiritu, inquit, hoc eſt interna fiducia quæ ſpiritualis eſt cultus (hoc enim membrum opponit cultui carnali) & in veritate, nempe illa ſalute quæ ex Iudęis eſt Luc. 2. ver. 30. 32. ſeu λόγῳ incarnato dato εἰς ἀπολύτρωσιν excitato & ſedente ad dexteram Dei in cœleſti ſanctuario & maieſtatis ſuæ throno, quę typorum ſeu vmbrarum eſt veritas, ſiue ſacerdotium vmbratile ſiue regnū typicum ſpectes. Et Chriſtum huius veritatis mentione nos ad dexteram vſque Patris per gradus euehere, docet eo ipſo quod de Spiritu Sancto aqua illa ſaliente in vitam æternam promittit. Quā promiſſionem cùm apud eundem Euangeliſtam cap. 7. repeteret, interpretationem hanc annectit Spiritus Sanctus per Ioannem v. 39, cùm inquit: Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Ieſus nondū erat glorificatus, quia nimirum effuſio Spiritus Sancti exalto teſtimonium eſſe debebat exaltati Meſſiæ in regno & ſacerdotio ad dexteram maieſtatis in excelſis Actor. 1. & 2. Hebr. 1. vt antea eſt oſtenſum.

21. Et sanè hæc illa ipsa Dei cognitio est, quam Dominus in nouo fœdere tum clarius (veritate nimirum promissorum suorum exhibita) tum copiosius (propter effusam Spiritus Sancti copiam maiorem) se daturum promittit. Ex hac autem Dei cognitione in Christo regnante ad dexteram Dei Patris omnipotentis vtrũque fœderis membrũ perpetuo tenore fluit. Quandoquidẽ Rex Ecclesiæ Christus mittit nobis verbũ pacis (Ephes.3. Rom. 10.) quo semetipsum nobis offert atque in semet Patrẽ in æternum nobis recõciliatum 2. Cor.5. ita vt nulla ampli⁹ restet peccati nostri memoria: & misso Sp.S. promissionẽ hanc gratuitã cordibus nostris obsignat, vt docet Apostolus Ephes.1. & ipse Seruator, In me pacẽ habebitis & toto c.17. Ioãnis. Deinde Rege ipso nobis cõiuncto, atq; per eũ & in ipso Patre in æternum cõstantissimo fœdere nobis reconciliato, testificante nobis eã coniunctionem arctissimam, & recõciliationem æternã Spiritu Sancto, per eundem etiam Spiritũ è capite nimirum in nos manantem, viuificamur & regimur ministerio Euãgelij seu sceptro verbi sui: atque ita etiã altero hoc modo vindicat nos sibi à tyrannide Sathanæ ne possit nos impellere ad scelera & mortẽ æternã, sed Christus sibi coniunctos per noua incrementa Spiritus indies nos sibi magis magisque addicit ac vindicat, vt pro efficacitate ipsius in nobis ei viuamus cui animæ & corpora nostra sunt propria. 1. Cor.3. & 6. c. Et sanè hoc est regnũ Dei è cœlo à Rege Christo in nobis inchoatum 1. Pet.1.

Pet.1.in quo vniti Regi Christo, vt mẽbra capiti, vtrumq; beneficium habemus, & pacem illã siue tranquilitatẽ conscientiæ & renouationem ad iustitiam: prout vtrumq; beneficiũ coniungit Paulus ad Rom.14: Regnũ Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium per Spiritum Sanctum.

22. Et quidem tanta cum sapientia & potentia pacem hãc & renouationẽ ad iustitiam administrat Rex ille cœlestis, vt & totam Ecclesiam variis Spiritus sui donis ornet, & cuilibet mẽbro tantum det donorum quantũ ad capitis gloriam, totius corporis ædificationẽ & membri illius salutem satis est: nullum autem ex iis sine donis necessariis relinquat, aut prorsus vacuum deserat, ad Epes.4: vnicuique nostrûm data est gratia pro mensura doni Christi. Et paulò post: Dedit ipse quidem alios Apostolos, alios Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem, inquam, corporis Christi, donec euadamus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi. Item: Prorsus adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe, Christus ex quo totum corpus congruenter coagmentatum ac compactum per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri incrementum capit corpori conueniens ad sui ipsius ædificationem per charitatem. Ergo effectus regnantis

Christi ad dexteram Patris est, vt misso inde & effuso Spiritu Sancto vsque ad finem mundi, efficax sit per ministerium & per Spiritus Sancti vinculum electos omnes membra sua efficiat, atque indies spirituale suum regnum in iis promoueat obsignãdo eorum cordibus gratuitam suam iustitiam, eosque vindicando à tyrannide & seruitute Satanæ Rom.6. per renouationem ad Dei imaginẽ: donec perfectè repurgatos à peccato & corruptione plenè nos sibi cõiungat, & sit Deus omnia in omnibus, scilicet credentibus. 1. Cor. 15.

23. Eodem pertinet defensio Ecclesiæ cõtra omnes hostes, peccatum, carnem, mundũ, Tyrãnos & Diabolos: quæ sic comparata est, vt hostes illi exerceant quidem Ecclesiam, quatenus Rex ille Christus exercitiis illis vti vult tanquam instrumentis cum ad exercendum fidem nostram de gratuita iustitia, tum ad mortificandum externum hominem, quò renouemur quoad internum, quod est inscribere Leges cordibus: & ita quidem vt peccatum, Sathan, & reliqui hostes premant sanè Dei filios, at non opprimant. 2. Cor. 4. v. 7. 8. 9. 10. & 12: Filius autem Dei omnia illa ipsis cooperari faciat in bonum ad Rom. 8. Tanta est sapientia & potentia vocantis lucem è tenebris 2. Cor. 4. Nam in infirmis vult ipse Dominus esse robustus, & in infirmitate virtus ipsius perficitur prout ad Apostolum Paulum ait, 2. Cor. 12. v. 9. 10.

24. Postremò, eius Regis membra sumus per Spiritum Sanctum (qui sacræ huius vnionis est

nis est vinculum 1. Cor. 12.) per quem condita sunt secula Hebr. 1: sine cuius æterno consilio neque Turcæ neque Antichristus neq; ipsorum caput Sathan quicquam cõtra Ecclesiam consultare, nedum concludere aut digitum etiam ad consilia sua exequendum mouere possunt, adeò in medio inimicorum suorum regnat λόγος ille incarnatus, vt ne ex intimis quidem eorum consiliis excludi velit: idque propter suam gloriam & Ecclesiæ salutem: vt nimirum regnum suum in nobis inchoatum inuitis hostibus conseruet, promoueat, ac tandem plenè perficiat cùm apparebit gloriosus in sanctis suis 2. Thess. 1. Firmum enim stat Dei decretũ: Dixit Dominus Domino meo: sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum, Sceptrum fortitudinis tuæ mittet Dominus è Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

25. Adhuc diximus de exaltatione Christi tum in Sacerdotio tum in regno, quibus duabus partibus constat eius sessio ad dexteram Dei Patris omnipotentis: deinde quomodo vtraque illa ad verãque fœderis gratuiti à Mediatore præstitam sponsionem faciat: superest vt quosdam nodos expediamus ad vberiorem totius negotij declarationem. Ac primùm sessio ad dexteram Dei Patris omnipotentis nõ est facta in vtero: quia sessionem antecedit ascensio in cœlum, quam in vtero virginis factã esse stolidè diceretur, Marc. 16. v. 19: Dominus postquam locutus fuisset eis, receptus est in cœlum & sedit ad dexterã Dei.

26. Deinde sessio ad dexteram Dei non est idem quod assumtio hominis in vnitatem personæ Filij Dei, tum quia homo (indiuiduũ per se subsistens) non est assumtus, sed natura humana, tum quia etiam ipsa natura humana non est assumta à Deo Patre omnipotente in vnitatem personæ. Ergo sedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis, non est assumptum esse in vnitatem personæ. Quin imò oportebat prius in vnitatem personæ, non Patris omnipotẽtis, sed Filij assumtam esse humanam naturam antequam λόγος ille incarnatus in cœlum ascenderet, & ad dexteram Dei Patris sederet: vt testatur vox Patris è cœlis emissa testificans de Filio suo incarnato stante in terra in monte 2. Pet. 1. v. 17. 18.

27. Quemadmodum autem ignominia ante exaltationem in totam personam cum suo officio redundauit, & quidem si naturas spectes in Deitatem vel inprimis. (Ideo enim vt Filium hominis conspuunt & opprimunt, quò Deitatem eius, quam confessus erat, oppugnent, & si possent deleant Ioann. 19. v. 7. Nos legem habemus, inquiunt, & secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit. Item: Si Filius Dei est descendat de cruce & credemus in eum: & quo ad officium regium & sacerdotale, vnà cum cõtemtu donorum vt Prophetiæ, coronam spineam ei imposuerunt, purpura induerunt, arundinem in manum dederunt, genu flexerunt, faciem eius cęciderũt, illudentes, prophetiza Christe quis te percussit: pro ara deniq; in qua mactãdus erat

dus erat agnus, cuius os nō erat comminuendum, selecta crux ignominiæ plena, & inflicta mors crucis, diuina sentētia maledicta, vt ipse Rex, Sacerdos simul & victima ignominiam nostram sub tyrannide Diaboli perferendam & maledictionem à nobis tolleret) ita & gloria exaltationis ad totam personam pertinet totiusque personæ officium absq; naturarum confusione aut abolitione. Ideo Christus calumniam quæ ipsius personę & officio impingebatur ita refellit, vt totius personæ officiiq; gloriā afferat, & tamē naturas non confundat Matt.26.v.63.64: respondens pontifex maximus dixit ei, Adiuro te per Deū viuentem, vt dicas nobis an tu sis Christus ille Filius Dei: dicit ei Iesus, Tu dixisti. Quin etiam dico vobis, ab hoc tēpore videbitis Filium hominis, sedentem ad dextram potētiæ Dei & venientem in nubibus cœli. Sic loco iā citato 2. Pet. 1. cùm discipulis gustum futuræ exaltationis præberet, è magnifica gloria accepit testimoniū summę glorię: ꝙ esset æternus Dei Filius: gloria verò quę lucebat in corpore testabatur vt effectus de causa, nempe æterna eius Deitate: humanitatem ornabat non adimebat, vt Augustinus etiam loquitur, *Gloriā corpori dedit, naturam non abstulit.* Et Paulus ad Philipp. 3. versu. 21. Quia autem persona Christus, est Deus manifestatus in carne, 1. Timotth. 3. & dum ea peteretur Deitas inprimis petebatur, ac contumelia afficiebatur, ideo Christus eam etiam in exaltatione vel inprimis manifestari his verbis optat

Ioann.17. Glorifica me Pater ea gloria quam apud te habui prius quàm hic mundus existeret. Certè humana natura ante mundum conditum apud Patrem gloriam non habebat, quia non erat: postquàm autem à λόγῳ assumta est, & λόγος ipse in natura assumta crucis probro obruendus ad tempus erat, orat Dei Filius, vt Deitatis suæ gloria, quam ab omni æternitate habuit, manifesta fiat.

28. Quę igitur præstātia hominis Christi præ Ioanne, Petro & aliis? Multa per omnem modum. Antecellit enim primò ratione personæ à qua natura humana est assumta: secundò ratione donorum: tertiò ratione officij, propter quod natura humana & in vnitatem personæ assumta est, & donis plenè ornata. Quod si igitur quæratur, quas non homo per se subsistens, sed natura humana λόγῳ vnita habeat prærogatiuas, etsi plurimæ sunt, quarum prærogatiuarum nulla ad se pertrahit quod est Deitatis proprium, ad tria tamen quæ diximus capita referri possunt.

Prima præstantia est quod vt humana illa natura remotior est ab omni peccato (caret enim omni labe) quàm vlli Angeli & homines: ita minus cupit esse ipsa Deitas, quàm vllus Angelorum aut beatorum hominū: sed è puluere terræ se sumtam agnoscens honorem illum summum qui creaturæ contingere potuisset simul agnoscit, ꝙ mero Patris beneplacito & ipsius λόγου, in vnitatem personæ τοῦ λόγου sit assumta, vt hæc natura humana ipsius personæ sit propria, atque ita Deus & homo vnicus

vnicus Dei Filius. Præstantia igitur prima naturæ humanæ in Christo hæc est, quod non est homo per se subsistens vt Petrus, ideoque nec homo deificatus, à quo scelere ipsa abhorret, sed quòd humana Christi natura est Filij Dei propria humana natura, ita vt hæc persona quæ hanc massam sibi vnitam sustentat verè dicere possit, Ego sum creator Petri, & creator humanæ etiam meæ naturæ non minus quàm Petri quod nec Petrus, nec Angeli de se aut de vlla re possunt dicere sine summa blasphemia.

29. Altera præstantia est quod vt humana natura τῦ λόγυ creatura est & manet, & non desiderat fieri ipsa Deitas: ita & donis creatis à λόγῳ creatore ornata est, quæ creatoris propriam massam deceant, longè supra omnes Angelos & homines: non modò vt ex iis agnoscatur quod sit ipsius λόγυ propria humana natura, verùm etiam vt pro ratione officij sui Sacerdotalis & regij κοινωνία illorum donorum ad electos perueniat ex præeunte κοινωνίᾳ cum ipsomet capite λόγῳ incarnato per vinculum Spiritus fidei Ioan. 3. vers. 3. 4. Huic non admetitur Deus Spiritum. Et cap. 1. vers. 12. 13. 16.

30. Inter omnia autem dona humilitas cordis præcipua est qua gratia nobis parta est, & in æternum conseruatur: ideoque excellit in toto ipsius officio. Quærenti igitur qua gloria eminet homo Christus ratione officij, dicam: Certè quod ipse, non vt indiuiduum per se subsistens, sed vt semen mulieris à λόγῳ

assumtum, in vnitate personæ τοῦ λόγου humilitate sua contriuit caput serpentis, & expiauit nefariam Adami & nostrûm omnium in ipso affectatam æqualitatem cum Deo:& humiliationis probro deposito,humilitatis autem dono in æternum conseruato,& lucente in gloria,nobis aliisque Adę Filiis eius fructum largitur gratia pro gratia.Dicam fusius:

Humana Christi natura à λόγῳ distincta,nũquam distracta (nam vt distracta vel separata nihil vnquam habuit,quia non extitit: & à quo momento semel assumta est,auelli à λόγῳ nunquam potest)ratione officij Sacerdotalis & regij in vnitate personæ τοῦ λόγου hanc præstantiam habet : quòd humilitas illa qua λόγος incarnatus infra damnatorum sortem se submisit , in æternum apud Patrem est plena gloriæ , superatque omnium Angelorum & redemtorum hominum humilitatem. Habebat quidem Rex & Sacerdos in terra coram Patre hanc humilitatis gloriam, sed quia nondum erat conspicuum quòd persona illa esset λόγος incarnatus, ideo humilitatis illius gloria nondum erat in terra plenè manifestata , nempe quanta ea esset,quantæque dignitatis.Quod ipsum dum λόγος in carne quidē, sed citra infirmitatem carnis in cœlesti throno declarauit quisnam esset palàm fuit manifestatum. Habebat igitur in terra Rex & Sacerdos Christus humilitatis gloriam ; sed quia in terra obruta erat crucis probro prout & ipsius Deitas,ideo oportebat eã manifestari in cœlesti maiestatis throno atq; sũma luce corã Angelis & beatis hominibus.Et quia Sa-

cerdotale & regiũ munus nõ exuit, sed continuat, & quidē illustri⁹, quàm in terra, hinc est quòd adhuc dignatur nos sanare, obligare cõtritos corde, & ꝙ Pontificē habemus qui cõpati nobis potest in omnib⁹ quæ apud Patrē agenda sunt. Adhuc enim viget quod de se testatus est, Discite à me, quia mitis sũ & humilis corde. Hęc igitur nõ parua est Filij Dei incarnati gloria, humilitate sua superasse omnē Diabolorũ & hominis corrupti superbiā, imprimisque nefariā illā affectationē ęqualitatis cũ Deo & in æternũ esse mitē Pontificē & humilē corde ad delendũ peccata & sanandum contritos corde. Cùm enim λόγος incarnatus ad dexteram Patris exaltatus appareat pro nobis vt Sacerdos & Rex iustitiæ & pacis, certè in ipsa exaltatione lucet summa humilitatis gloria non modò absterso omni crucis probro, sed conuerso in palàm manifestatam gloriam Apocal. 1. v. 5. 6. Coloss. 2. Qua humilitate vt semel est factus supplex seu ἱκέτης pro nobis, ita etiam in summa luce eam non deponit: vt pacē sua humiliatione nobis constituit & iustitiam nobis comparauit, ita nec ipsam humilitatem nec eius autoramenta in summa luce & cœlesti gloria Rex pacis derelinquit.

31. Nequaquā igitur hæc humanæ à λόγῳ assumtæ & retentæ naturæ gloria est præ Angelis & hominibus beatis, quòd minus agnoscat se creaturam esse quàm Angeli sint & homines, aut æqualitatem cum Deitate affectet: quod primi Adami crimen indeq; secuta mala, ipsa vnita λόγῳ contrario remedio sanauit,

ſanitatemque ſemel partam eodẽ ſempiterno remedio cõtinenter cõſeruat: imò magis hoc agnoſcit quàm omnes Angeli & homines, & quãtũ ſit diſcrimẽ inter Creatorẽ & res creatas omnes, pro ſumma ſua qua ornata eſt ſapientia. Sed vt dixi, ſũma gloria eſt humilitas palàm manifeſtata: quòd nimirũ in cœleſti luce humiliatio in terra exhibita æternam vim exerit corã Patre, & in animo Sacerdotis, qui vtcunque patiendo non ampliùs ſe humiliet, humiliationis tamẽ in terra exhibitę dignitas palàm manifeſtata fulget: eiuſque fons quòd mitis ſit Pontifex & humilis corde haudquaquam exaruit: ſed è luce & throno cœleſti in cœlum & terram ſcaturit intercedendo pro nobis, non ſeorſim à λόγῳ (neque enim eſt indiuiduum per ſe ſubſiſtens humana natura) ſed λόγῳ in æternum vnita. Hæc itaque eſt perſonæ λόγου incarnati, ratione officij ſumma & palàm declarata gloria, quòd æternus λόγος ſit ſemen illud mulieris, Sacerdos & Rex Eccleſiæ, qui humilitate infra omnium damnatorum ſortem deiecta, nunc verò ſupra omnem creaturarum gloriam exaltata contriuit caput ſerpentis, & arrogantiſſimam primorum parentum ſuperbiam ea expiauit in æternum, fœduſque gratiæ ſemel ea ſancitum, eâdem perpetuò conſeruat: Non in contemtu, inquam, & infirmitate, ſed cum omni poteſtate palàm coram Angelis & hominibus manifeſtata: dum nimirum non modò humilitatis ſuæ meritum æternum reconciliandi

vim exerit apud Patrem, ſed etiam per infirmam prædicationem crucis vult eſſe efficax, & totum mundum imperio ſuo ſubigere 1. Corinth. 2.

32. Poteſtas enim illa omnis quæ ei data eſt in cœlo & in terra, poteſtas officij eſt, Filij humilitatem non euertens nec prædicationem crucis euacuans. 1. Cor. 2. v. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 8. Et cap. 1. v. 17. 21: ſed vim eius glorioſam longè latéque proferens 1. Cor. 1. v. 23. 24. 25: Poteſtas, inquam, hæc omnis de qua ait Matth. 28: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c: poteſtas officij eſt Sacerdotalis & regij data non homini per ſe ſubſiſtenti, neque alteri naturæ in Mediatore (neque enim alterutra natura Rex & Sacerdos eſt) ſed toti perſonæ, λόγῳ incarnato. Quandoquidem tota perſona Rex eſt & Sacerdos ſecundum vtramque naturam. Poteſtas igitur illa omnis non potuit dari niſi toti perſonæ λόγῳ incarnato. λόγῳ enim abſque carne conſiderato dari non potuit, nec humana natura eſt indiuiduum per ſe ſubſiſtens, vt dixi quod ſemetipſum ſuſtineat, nedum vt omnem poteſtatem ſuſcipiat & adminiſtret.

33. Omnis hæc poteſtas λόγῳ incarnato data ante aſcenſionem in cœlum, non faciebat, vt corpus eius in cœlo iã tũ eſſet cùm in monte ſtans iſta loqueretur: Verè enim ſecuta eſt aſcenſio in cœlum vbi corpus eius antè non fuerat.

34. Neque etiam omnis illa potestas fiebat vt antequam in cœlum ascenderet, ad dexteram Dei sederet, quam sessionem ascensum in cœlum sequutam esse antè demõstrauimus. Etsi enim iam tum, cũ Christus loqueretur omnis potestas verè ei data esset, nõ tamen ante, sed post ascensum in cœlum palàm corã Angelis & hominibus beatis in throno maiestatis in excelsis declarata est, atque inde in vniuersa quoque terra per effectum, effusum nempe Spiritum Sanctum ex alto & sceptrum virtutis suæ missum è Sion Psalm. 110. Iesa. 2. Rom. 10. 35.

35. Multo etiam minus omnis hæc potestas quæ toti personæ λόγῳ incarnato data est, seu πᾶσα ἐξουσία idem est quod πᾶσα δύναμις seu vis omnipotens essentialis diuina, quæ ipsa essentia Dei est: Quia eiusmodi vis λόγῳ, qui omnipotens Deus erat, dari non poterat, nec humanæ ipsius naturæ, quia ea per se non subsistit, nec seipsam sustentat, minimè verò omnium datum, vt ea vim habeat omnipotentem quæ in persona Filij à generatione æterna è substantia Patris separari non potest. Quod sanè necessariò sequeretur, si πᾶσα ἐξουσία idem esset quod πᾶσα δύναμις, hoc est si non officij omnis illa potestas, sed essentiæ omnipotentia esset. Quinetiam sequeretur fidelium animas & corpora ex Dei essentia esse genitas si ἐξουσίαν dare idem sit, quod δύναμιν essentialem diuinam dare. Ait enim Ioannes: Quotquot eum receperunt dedit eis hanc ἐξουσίαν seu

hanc

hanc dignitatem vt Filij Dei fierent iis qui credunt in nomen eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt. Non iam hîc confero nostram adoptionem (qua gratis reconciliati Deo & renouati ejus Spiritu, Christo vt membra insiti filij Dei censemur) cum λόγῳ incarnato, qui non tantùm Dei Filius est quoad diuinam naturam, idque propter generationem æternam è substantia Patris, sed etiam quoad humanam naturam simul vnus Dei Filius: non quòd humana natura è substantia Patris sit genita, quod necessariò foret, si omnipotentem δύναμιν in se transfusam haberet, nec quòd secundum eandem humanam naturam Christus adoptione sit Dei Filius vt nos sumus. Absit: sed quòd ab æterno Dei Filio in vnitatem personæ humana natura sit assumta saluis manentibus tam assumtæ naturæ, quàm assumentis λόγου proprietatibus, vt Filius incarnatus sit vnicus Dei Filius, constitutus caput omnium Angelorum & hominum Coloss. primo. Qui cùm habeat πᾶσαν δύναμιν per generationem æternam à Patre, quatenus è Patris substantia est genitus, & Patri coëssentialis: accepit tamen vt λόγος incarnatus quatenus est constitutus caput Ecclesiæ secundum vtramque naturam omnem ἐξουσίαν: quæ potestas est officij exequendi ea omnia quæ

regii ipsius & sacerdotalis sunt muneris prout vtriusque naturæ in tota persona fert proprietas.

36. Si enim donatio omnis potestatis facit vt natura humana sit & dicatur omnipotens, etiam faciet vt natura humana sit Deus: etsi Deus vtique Deus de Deo vero, lumen de lumine, ideoque per generationem æternam (neque enim humana natura Patris aut Spiritus Sācti humana natura est, sed eius qui est Deus de Deo vero & lumen de lumine) aut si non per generationem ęternam & tamē Deus, erit humana natura aut Deus Pater aut Spiritus Sanctus: & sic Christus erit ὑφιστάμενον constans æterno λόγῳ & simul humana natura, quæ esset Deus Pater vel Spiritus Sanctus. Quæ cùm sint absurdissima, manifestum est donationem illam omnis potestatis non facere vt humana natura sit omnipotens, sed testari potiùs vnitam esse æterno λόγῳ qui naturâ est omnipotens: quia nonnisi vnita omnis illius potestatis officij cum λόγῳ capax esset. Manet igitur firmum quod diximus omnem illam ἐξουσίαν officij esse, non δυνάμεως essentiæ.

37. Quod etiam ex ea executione mandati quam Christus continenter subiungit manifestum est: profecti ergo, inquit, docete omnes gentes baptizantes &c: ad quā cùm nō prius velit vt se accingant quàm induti sint virtute ex alto, vt in eodem sermone, quem in monte ante ascensum habuit, refert,

refert Lucas Actor.1. ostendit tantum abesse vt accepta illa omnis potestas ascensionem in altum & ingressum in cœleste sanctuariũ impediat, vt potiùs ex alto postquam ea fuerit in cœlesti sanctuario manifestata, vim acceptæ potestatis ex effuso Spiritus dono sint percepturi, qua mandatum propagandi sui regni & communicandæ reconciliationis hominibus 2. Cor.5. exequantur: atque ita fore in alto ad peragendum ea quæ in cœlesti sanctuario summo Sacerdoti & regi peragenda sunt in humana natura, vt tamen cum ipsis futurus sit quoad diuinam haudquaquã ab humana distractam, idque non vno aut altero, sed omnibus diebus vsque ad cõsũmationem seculi. Etenim post consummatum sacerdotium in terra, & partum regnum in infirmitate carnis præsentia in terris, nec ad æternum sacerdotium continuandum, nec ad regnum quod spirituale est ad fines orbis propagãdum in terris opus erat: alioqui non Spiritum, sed carnem ex alto in Apostolos effusurus. Atque ita si ipsa carnis præsentia in terris non erat opus (quæ tamen licet in cœlo sit & non in terra, semper tamẽ vt intermediũ organum nobis in terra versantibus opus est, vt per vinculum Spiritus cum ea coniuncti simul etiam bonorum, quę cœlestis Pater in eam contulit fiamus participes:) multò minus transfusione proprietatum diuinarum in carnẽ assumtam opus erat, cuius vi caro vbique in terra præsens sisteretur: quin potius trãsfusio illa ipsam cõiunctionem cum ea vt intermedio organo

impediret, atque adeo ſacerdotium æternum & regnum illud pacis euerteret. Nam cùm Deus ſit ignis conſumens, nos verò Mediatore indigeamus, à quo continenter ad dexteram Dei Patris ardor iuſtæ ſimul & ardentis aduerſus omnia peccata Dei iræ à Chriſti membris auertatur & reſtinguatur, neceſſe eſt λόγον in eiuſmodi aſſumta natura verè humana pro nobis comparere, quæ naturæ humanæ proprietates retineat, non autem eiuſmodi quæ Deitatis, hoc eſt, ignis conſumentis proprietates aut in conceptione aſſumſerit, aut poſt aſcenſionem in cœlum in ſe trãſfuſas acceperit: minimè verò omnium per ipſam ſeſſionem ad dexterã Dei Patris omnipotẽtis intelligi debet realis diuinarum proprietatum in carnem trãsfuſio, quòd idipſum ſummè cum ſcopo ſeſſionis Chriſti ad dexteram Dei Patris pugnet: qui eſt continua auerſio iuſtæ iræ Dei contra noſtra peccata: dum nimirum in hunc ipſum finem tota perſona Chriſti, atque ita in ea humana à nobis aſſumta natura ad dexteram Dei Patris ſedet, vt per eam eiuſmodi ardentis iræ auerſio pro æterno ſuo Sacerdotali officio iureiurando ſtabilito, re ipſa atque adeo cõtinenter executioni mandetur.

ARTI-



ARTICVLVS VII.

Inde venturus est iudicatum viuos & mortuos.

1. QVæ persona illa sit quæ vẽtura est, & vnde ventura priùs videamus quàm ad vtramque fœderis partẽ articulum hunc accommodemus. Persona est eadem quæ passa est, quæ ascẽdit, quæ ad dexteram Dei sedet, nempe nõ homo per se subsistens, sed λόγ❧ incarnatus Ioann. 5. ver. 25. 26. 27. Et Marc. 2. v. 8. Ad Tit. 2. v. 13. 14. Et ca. 3. v. 4. Matth. 26. Christus adiuratus ait, videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli. Actor. 3, Cùm miserit prænunciatũ vobis Iesum Christum, quem quidẽ oportet cœli capiãt vsque ad tempora restitutionis omnium, quæ prædixit Deus per os omniũ sanctorum suorum à seculo Prophetarum, Philip. 3. v. 20. 21. Cõuersatio nostra in cœlis est vnde etiam Saluatorẽ expectamus Dominũ Iesum Christum 1. Thess. 1. vt expectaretis Filium eius è cœlis, quem excitauit à mortuis Iesum eripientem nos ab ira illa ventura. Et cap. 4. versu. 16. 17. Nam ipse Dominus cum hortationis clamore & voce Archangeli ac Dei tuba descendet è cœlo, & qui mortui fuerint cum Christo resurgent primùm, deinde nos viui, qui reliqui erimus rapiemur simul cum iis in

nubes in occursum Domini in aëra, & ita semper cum Domino erimus. 2. Thess.1. ver.6.7. Iustum est apud Deum vicissim reddere iis, qui affligunt vos afflictionem, vobis verò qui affligimini relaxationẽ nobiscum cùm patefiet Dominus Iesus de cœlo cum Angelis potentiæ suæ cum flammeo incendio infligens vltionem iis qui Deum non nouerunt, neque auscultant Euãgelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam pendent æterni exitij damnati à pręsente Domino & potente ipsius gloria cùm venerit vt glorificetur in sanctis suis, & admirandus in fidelibus omnibus (quòd fides habita sit testimonio nostro apud vos) in illò die. Et cap.2.v.8. Et tunc retegetur ἄνομος ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui & illustri aduentu suo abolebit. Tit.2.v.1.12.13. Et 1. Cor.11.v.26.

2. Descriptio autem reditus Christi ad iudicium extat Matth.24. Tunc si quis dixerit vobis: Ecce hìc est Christus, aut hìc: ne credite: Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula ita vt seducant (si fieri posset) etiam electos. Ecce prædixi vobis. Itaque si dixerint vobis: Ecce in deserto est: ne egredimini: Ecce in conclauibus: ne credite. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet vsque ad occidẽtem, ita etiam erit aduentus Filij hominis, vsque ad v. 37. Et Luc 21. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia & gloria multa. Cùm autem hæc fieri incipient erigite & attollite capita vestra. Plenissimè autem

ob

ob oculos ponitur Christi aduentus eiusque iudicium Matth.25.à v.31. vsque ad finem capi. Matth.10.v.32.33. Marc.8.v.38.1.Thess.4.v.1.2. 3.4.5.23.Apocal.14.v.9.10.11.12.

3. Sequitur vt videamus quomodo hic articulus cum superiore cohæreat, & ad vtramque sponsionis Christi partem faciat. Quoniã Rex & Sacerdos Ecclesiæ Christus ad dexteram Dei Patris sedens ita vtramque fœderis partem administrat, vt licet qui ab ipso iustificati sunt pacẽ in conscientiis habeant, à mundo tamen inter maleficos reputentur, quò in ignominia capiti sint cõformes: deinde etiam ita vt in hac vita fœderatos suos plenè non regeneret, sed sub crucẽ & hostium iniuriis eos continendo, sensim peccatum in iis mortificet, & leges suas cordibus eorum inscribat. Ideo vult fideles capita sua attollere ad expectandum eius reditũ ad iudicium. Hoc Christi consilium extat Luc.21.v.28. Cùm hæc fieri incipiẽt erigite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestra.

4. Etenim cum iudicare sit absoluere innocentes eosque ornare, & condemnare nõcentes eosque punire, credimus eum ita iudicaturum, vt fideles in semetipso palàm absoluat, donaque sua (quibus leges suas in corda eorum inscripsit) in iis coronet: contrà verò vt Euangelij contemtores & Legis transgressores iustis suppliciis addicat, quorum ipsimet sibi sunt causa. Christus enim tãtùm gratuiti fœderis causa est, cõdemnationis autem nequaquã. (Quî enim possit mors à vita pro-

ficiſci?) etiamſi condemnationis ſententiam in reprobos ferat quemadmodum Hoſ.13.v. 9.aſſerit? Et Chriſtus de ſe teſtatur Ioann.3.v. 17.18.19. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum vt condemnet mundũ,ſed vt ſeruetur mundus per eum. (vbi obſerua condemnãdi verbũ apud Ioannẽ idẽ eſſe quod perdere, quod ex antitheto ſeruãdi vocabulo intelligitur:non autẽ ſignificat ſententiã condẽnationis proferre) Qui credit in eum nõ condemnatur: Qui verò nõ credit iã condẽnatus eſt,quia non credidit in nomẽ vnigeniti Filij Dei.Hæc eſt autẽ condẽnatio, ꝙ Lux venit in mundũ, ſed dilexerunt homines potiùs tenebras, quàm lucẽ, quia opera eorũ erant mala.

5. Primus itaque finis reditus Chriſti ad iudicium eſt, vt Filius Dei in vera ſua natura humana in qua paſſus eſt vt maleficus, declaretur iuſtus in cõſpectu omnium Angelorum & hominum:ſicut dicitur in Actis:Cùm Deus miſerit iuſtum hunc &c: Et Ioann.19.v.37. Vt idem λόγος incarnatus, qui antea iuſtus declaratus eſt in cœlo in conſpectu Angelorum & in conſcientiis fidelium: nunc quoque coram ipſo ſerpente & ſuo ſemine palàm iuſtitiam ſuam ſuorumque in ſe proferat,ac iuſtam ſententiam æternæ contritionis Serpentis ipſiuſque ſeminis: contrà verò victoriam electi ſeminis mulieris in ſuo capite proferat ſimul & exequatur. Hic igitur finis ad priorem fœderis gratuiti partem facit. Coniuncta eſt cũ eo enim iuſtificatio ſolennis omniũ electorũ ſeu fidelium per ipſum iudicẽ pro eis mortuum.

Ideo enim Pater personam iudicis voluit esse λόγον incarnatum,& authoritatem dedit Filio iudicium exercendi quatenus Filius hominis est Ioann. 5. v. 27. Et 22. 23: vt solidam quietem habeant nostræ conscientiæ in expiatione facta per ipsius iudicis mortem. Quamobrem Diuus Paulus vult nos certos nostræ salutis edentes de pane hoc & bibentes de poculo hoc annunciare mortem Domini donec veniat. Et Hebr. 9. v. 28. Christus semel oblatus, vt multorum peccata tolleret, altera vice absque peccato conspicietur ab iis qui ipsum expectant ad salutem. Item 1. Thess. 2. ver. 9. & 10.

6. Huc accedit finis alter plena renouatio seu glorificatio Ecclesię Philipp. 3. Cõuersatio nostra in cœlis est, vnde etiam Seruatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui trãsformabit corpus nostrum humile vt cõforme fiat corpori suo glorioso pro efficacitate, qua potest etiã subiicere sibi omnia. Item Ephes. 5. v. 23. 25. 26. 27. 30.

7. Et ne quid porrò gloriã capitis & mẽbrorum obscuret aut impediat, separabit iudex fideles ab infidelibus non solùm in ipso iudicio, sed postea etiam & quidem in omnẽ æternitatẽ tanto interuallo quanto infernus à cœlo distat condẽnatis infidelibus in ignem æternum, fidelibus verò introductis secum in regnum cœleste Matth. 8. v. 8. 9. 10. 11. Dico vobis, ait Christus, laudata fide Cẽturionis multos ab oriente & occidente vẽturos & discubituros cum Abraham, Isaac, & Iacob in

regno cœlorum: filios verò regni eiectum iri in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. Et Ioann. 14. Cùm profectus fuero & parauero vobis locum, rursum veniã & assumam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum & vos sitis. De Iuda autem scribitur Actor. 1. quòd abierit in locum suum. Et Luc. 16. de diuite aliisque damnatis quòd hiatus ingens sit inter eos & Lazarum constitutus. De fidelibus verò 1. Thess. 4. v. 17. rapiẽdos esse in aëra, & sic semper futuros cum Domino.

8. Hactenus de vtraque fœderis parte. Hinc ad duplicem summum finem ascenditur. Veniet enim gloriam suam patefacturus, quam ab æterno declarare decreuit: misericordiæ gloriam in benedictis merito & efficacia. Ex efficacia autem in ipsis ostendet benedictionis κοινωνίαν in merito Matth. 25. ver. 25. 26. Actor. 3. v. 26. Et cap. 26. ver. 18. 19. 20 23. Iustitiæ verò gloriam & iræ aduersus peccatum in infidelibus, quorum maledictionis causa nempe peccatum in ipsis hæret, quod etiam è fructibus iudex demõstrabit. Hoc respectu dies ille, dies iræ vocatur Rom. 2. v. 4. 5. Et sic plenum effectum sortietur hoc dictum Gen. 3. Semen mulieris conculcabit caput serpentis: Hoc, inquam, plenè implebitur in extremo iudicio. Etsi enim peccata fideliũ sint expiata, ideoque in condemnationem non sint venturi, & per mortem aboleuerit eum qui mortis habebat imperium, quia tamen Satan adhuc tum per se tum in impiis oppugnat fideles, & Christum semen illud mulieris in suis mem-

membris, & quia peccati reliquiæ etiamnum in nobis hærent, atque adeò mors temporalis; ea omnia plenitudine benedictionis in nobis aboleri oportet, vt peccatum absorbeatur à iustitia, mors à vita: Satanam verò & impios omnes in æternas pœnas abiici: quæ est totalis seu finalis conculcatio per eum qui est Iehoua manifestatus in carne Hos. 13. vers. 4. & 14. Ego autem sum Iehoua Deus tuus è terra Ægypti: Et Deum præter me nescies, & Saluator non est præter me. Item, è potestate sepulchri redimam eos, è morte redimam eos. Ero mors tua ô mors: Ero excisio tua inferne: pœnitudo abscondetur ab oculis meis; id est non mutabo sententiam meam pœnitentia adductus: nam hoc fiet citra vllum dubium. Locum hunc de aduetu extremo Christi accipit Paulus 1. Corinth. 15. vers. 54. 55. 56. 57. 58. aitque promissionem hanc tum habituram plenum complementum.

9. Fide autem expectante Dominum Iesum è cœlis in salutem 1. Thessalonica. ver. 10. & bona conscientia comparare nos debemus ad extremum iudicium, hoc est fide quæ nitatur sola promissione gratiæ, & fructibus fidei, quibus non ea nitatur, sed qui de ea testentur, quibusque exerceatur, hoc est, certitudine abolitæ omnis peccatorum memoriæ per Christum, & studio obediendi Deo secundum ipsius legem, quam Spiritus Sanctus inscribere dignatur cordibus; cuiusque stabiliendæ non euertendæ causa Christus se

venisse affirmat. Atque ita bona conscientia nobis seruanda in omnibus vsque dum venerit Dominus qui illustraturus est occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium 1. Corinth. 4. vers. 4. Sic Actor. 24: In hoc igitur me exerceo, vt conscientiam habeā sine offendiculo apud Deum & homines semper. Duabus, inquam, hisce partibus comparare nos debemus ad ipsius aduentum. Etenim Spiritus Sanctus proponendo nobis eundem λόγον incarnatum iudicem qui semetipsum dedit pro nobis Gal. 1. Qui nos liberauit ab ira ventura 1. Thessalonic. 1. Qui denique dixit semetipsum oblaturus : Si hoc fit in ligno viridi, quid fiet in arido : ex sacrificio illo spirat fidem & pœnitentiam in corda electorum per prædicationem Euangelij, ne quis nostris viribus nosmet comparare nos existimet Luc. 21. v. 36. Proponit enim in Euangelio summam Dei misericordiam in Filio pro nobis tradito, & summum etiam iustitiæ rigorem aduersus peccatum. Ideo Petrus Actor. 10. ver. 36. 39. 40. 42. summam mandati prædicandi Euangelium in eo constituit, vt doceat ipsum λόγον incarnatum (hoc enim sibi vult cùm vocat eum Dominum omnium) constitutum esse iudicem qui passus est : quia nimirum in eo ipso qui passus est & iudex constitutus vtrumque elucet, summa certaque misericordia erga credentes, & summum peccati odium ac iustitiæ rigor aduersus misericordiæ longanimitatisque Dei cōtemtores, quos Christus vocat lignū aridū. Ideo addit Petrus: Omnes Prophetas ei testimoniū dare, quòd

remiſſionem peccatorum accipiant per nomen eius omnes qui credunt in eum. Quàm igitur Deus dilexerit nos quos vocauit, rurſus quàm oderit peccatum è Chriſto crucifixo conſtituto iudice cognoſcere licet Rom. quinto & octauo. Executio decreti dilectionis eſt expiatio peccati & ſanctificatio Actor. 3.ver.25.26. Et hoc etiam argumento eſt fidē priorem obtinere locum, reſipiſcentiam verò ſeu fidei fructum ex ea ſequi. Sicut in Deo decretum nos diligendi fons eſt vnde manauit miſſio Filij in mundum licet in eius executione ſimul declarârit ſe peccatum ſummè odiſſe. Ita fides guſtans illam dilectionem in Chriſto acquieſcit in Deo ac cum eo coaleſcit Ioann.17. indeque deinceps fuga & odium peccati, & ſtudium iuſtitiæ manat. Etſi enim in Chriſto crucifixo conſtituto iudice omnium vtrumque appareat, & quàm immenſè vocatos diligat, & quàm oderit peccatum, tamen dilectio noſtri non odium peccati, propriè cauſa fuit dati Filij. Ita & fides hãc primò amplectitur, poſtea quoque ingeneratur per Spiritũ Chriſti odiũ peccati, quod tanto argumẽto (crucifixione æterni λόγου incarnati conſtituti iudicis omnium) Deum vidēt ſummè odiſſe. Sic comparat nos Spiritus Sanctus ad aduentũ Chriſti. Primũm inquã omniũ docet, idque efficaciſsimè ſtudendũ eſſe certitudini fidei, & à nulla re magis cauendum quàm ne Diabolus fiduciam in Chriſtum pro nobis oblatum labefactet: Quia illo ſacrificio ablato per infidelitatẽ nullam am-

pliùs restat sacrificium pro peccato, vt summo studio corda Hebræorum in eo fundari velit esse Paulus doceatque omnium venenorum veteris serpentis summum maximéque lethale esse defectionem ab illo, quo sublato nulla restat expiatio. Etenim siquis omnia det pauperibus non autem ex fide, diligente Christum eiusque aduentum, nihil esset. Quicquid enim non est ex fide peccatum est. Ordo igitur nos parandi ad extremum iudiciũ diligenter obseruetur, vt in fidei certitudinem præcipuè incumbamus. Cùm enim Deus peccatum summ è oderit, nos verò illud in nobis sentiamus antequam occultæ dilectionis Dei sensus ad nos perueniat, oportet nos fide ab ipso donari, vt peccatum ob quod exosi meritò essemus, in Filio expiatum cernamus: vnde postea fuga peccati manabit, quod videmus Deum adeò odisse, vt nisi interueniente tanto precio placari nobis non voluerit Ioan. 13. Nondum tamen satis liquet, cur & quomodo nobis hoc conferat fides, vt coram Christi tribunali cõsistamus, & vitæ æternæ fiamus hæredes. An quia Spiritu suo nos regenerat Christ⁹, vt viuat in nobis ac vigeat Dei iustitia in nobis inchoata? an quia iudex semetipsum tradidit pro nobis, ideoq; gratuita venia iusti corã Deo cẽsemur? Respõdeo. Etsi hæc duo semper cõiuncta sint in hominis Christiani vita, tamen cùm de salutis certitudine agitur tenenda est hæc causa sola & totalis: Nos ideo viuere vitam æternã, & in condẽnationẽ non venire, quia Deus peccata non im-

non imputando gratis nos amat Ioan.3. Ideo ait iudex: venite benedicti Patris mei. Item: Possidete regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. In benedictione nominatim Sacrificij fit mentio, quo simul cum peccatis maledictio & mors abolita est, & illud ipsum sacrificium fluit ex gratuito Dei bonitatis fonte, Galat.3.vers.13.14. 1. Thessal.1.vers.10. Ioan.3.v.14.15.16.17.



ARTICVLVS VIII.

Credo in Spiritum Sanctum.

1. ANTEQVAM articulum hunc ad vtramque fœderis gratuiti partem accommodemus de persona Spiritus Sancti quædam dicenda sunt, cùm in ipsa fœderis summa Dominus se cognitionem sui daturum & Spiritum etiam Sanctũ in medio nostri positurũ promiserit Ier.31.32.

Ac primùm credimus Spiritum Sanctum tertiam personã esse in vna Dei essentia, quæ à Patre & Filio procedit Ioan.15.v.26. Itaque cùm sit persona à Filio distincta certum est scripturam per plenitudinem donati Spiritus absq; mensura, non intelligere vnionem personalem humanæ naturæ cum Persona Filij (nã si per plenitudinem donorum vnio notaretur verba potiùs vnionem cum Spiritu Sãcto exprimerent, quod quàm à fide sit alienũ

omnes norunt) ſed Spiritum Sanctum cum ſuis donis intelligit, quę Chriſtus cum membris ſuis pro menſura donationis ſuæ cõmunicet: ſicut verba textus ſonant. Et de plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia. Vnionem autem perſonalem nunquam cum illis communicat, ſed nec portionẽ eius vllam. Sic in dicto Ieſaiæ cap. 11. Et quieſcet ſuper eum (ſurculum nempe prodeuntem ex radice Iſai) Spiritus Iehouæ, Spiritus ſapientiæ & intelligentię, Spiritus cõſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & timoris Iehouæ, & ſagacem eũ reddet in timore Iehouæ: perſona Spiritus cum ſuis donis, quibus humanam naturam in Chriſto ornat, intelligitur. Quod Ioannes ſic impletum ſcribit: Huic nõ dat Pater Spiritum ad menſuram. Impletionem etiam vnà cum vaticinio. vide Pſalm. 45. verſ. octauo collato cum 2. ca. ad Hebræos verſ. octauo, nono. At in illo Eſaiæ ſeptimo vocabitur nomen eius Emanuel. Item 9. Paruulus qui natus eſt nobis vocatur Deus fortis, perſona ſecunda in trinitate λόγος incarnatus demonſtratur. Etſi enim vnum cogitare nequeo, quin tribus circunfulgear, alia tamen eſt perſona λόγος incarnatus, alia Spiritus Sanctus cum donorum ſuorum plenitudine, ex qua membra Chriſti hauriunt, etſi totam non exhauriant: vnionem perſonalem cum λόγῳ cauſam & fontem plenitudinis ſibi non vſurpant, cùm ne effectum quidem vnionis donorum illam plenitudinem accipiant, ſed

piant, sed mensura donationis Christi fideles omnes contenti sint. Acceptio enim illa ad gloriam capitis spectat, quæ eadem plenitudine membris communicata obscuraretur, non illustraretur.

2. Deinde quemadmodum credendo in Christum λόγον incarnatum factum victimam, per eum & in ipso colloco simul fiduciam in Patrem, vt Christus ait, Philippe qui videt me videt & Patrem: ita & credendo in λόγον incarnatum, & per eundem in Patrem, qui Filium in carnem misit, simul etiam fiduciam colloco in Spiritu Sanctũ à Christo & à Patre simul procedentem Ioann. 14. v. 16. vt verum & viuum Deum seruantem fœderis seu pacti morte Mediatoris sanciti Hebr. 10. vers. 15. 16. testificantem spiritui meo, quòd peccatorum meorum nolit esse memor, adeò vt nulla ampliùs opus sit oblatione pro peccato: & quòd leges suas inscripturus sit cordi meo.

3. Quæ operatio Spiritui Sancto cum Patre & Filio est communis. Etenim quoniã cœlestis Pater per & propter Christũ peccatorũ non quidem omnium hominum etiam infidelium, sed quos elegit & efficaciter vocat seu fide donat, non vult memor esse ampliùs dat per & propter eundem Christum Spiritũ Sanctum, per quẽ corpori Christi eos inserit, vt victimam seu propitiationẽ ad se pertinere sẽtiãt (corporis enim sui saluator est Christus Eph. 5. Act. 2. v. 38. 47.) atq; ita promissio abolitæ memoriæ peccatorũ cordibus eorũ obsignetur: deinde vt è capite in subiecta mem-

bra spiritualia charismata cognitions Dei, intelligentiæ & timoris Domini, aliaque id genus gratuito Patris & Filij dono per operationem eiusdem Spiritus transfundantur atque communicentur.

4. Reconciliationis cum Deo ac per eam gratuitæ adoptionis, quia ita certos nos reddit, Spiritus gratiæ & precũ vocatur à Zacharia c.12. Deinde cùm Pater & Filius per Spiritũ leges suas inscribãt cordibus (ait enim, Dabo Spiritũ meũ in medio eorũ) sortitur ab illa scriptione, quæ multiplex est, varia nomina prout Lex Dei varias virtutes præscribit, quę nõ nisi gratuito ei⁹ dono secũdũ multiplicem ipsius gratiã cordibus inscribuntur. Hinc vocatur Spiritus cognitionis Dei: Item Spiritus intelligentiæ & timoris Domini qui nos non in vno aliquo præcepto, aut secundũ pauca vt Filios doceat timere Dominum, sed in omnibus & secũdum omnia. Qui enim in vno præcepto Deum contemnit, in omnibus eum contemnit. Contemnit enim eum qui dedit omnia. Contrà qui Spiritum adoptionis habet, is etsi cum infirmitate carnis luctatur quę Spiritui, hoc est, parti regenitæ repugnat Gal. 5. tamẽ propositũ sibi habet maiestatẽ Dei reuereri in omnibus; quia Spiritus Sanctus, qui vnus est sibique cõsentiẽs, & quo præcipua animi parte adeoq; inspirata ab ipso θεοπνεύστως agitur, ducit nefas esse Dei maiestatẽ, hoc est suã lacerari, idq; ei⁹ animo dictat. Et quidem detrectari ei plenũ imperiũ. ideoq; Deũ negari (qui sine pleno imperio nõ est) nisi homo in omnib⁹ ei⁹ verbis serio animi proposito se ei

subiiciat: quod fit per Spiritũ Sanctũ, qui peccatũ in nobis mortificat (seu facit vt nosipsos abnegemus) nihil enim magis Spiritus Sancti volũtati aduersatur, quàm hominis nõ regenerati voluntas (Gen. 8. Ioan. 3.) & cõformitatem in nobis erga omnia & singula præcepta (nullo contumaciter reiecto, quod absolutè seu simpliciter cũ Spiritu adoptionis pugnat Psal. 78. Sanctum Israelis limitauerunt) eamque indies promouet, donec in die παλιγγενεσίας plenè perficiat.

5. Et quidem promiserat Spiritus Sanctus non se alias, sed has ipsas quas dederat leges mentibus inscripturum. Quod ideò obseruandum, vt sciamus perfectam vitæ regulam tam colendi Deum propter se, quàm diligendi proximum propter Deum in Decalogo nobis latam esse, quæ est æterna regula iustitiæ in mente diuina Psal. 1. & 19. & 119. prout Christus etiam eam interpretãs Matth. 5. non eius tollendæ sed stabiliendæ causa missum se esse affirmat. Confirmat enim eam nõ modò dum veritatem ceremoniarum implet sua morte (sub precepto enim quarto totus cultus ceremoniarum comprehenditur) & gratuitam veniam conscientiis affert prout supra in confirmatione fœderis gratuiti expositum est (nam catenus Lex erat vestita promissionibus Euãgelij) sed etiam quatenus Legem moralem ipsam inscribit cordibus: vt non solùm donati luce fidei Christum crucifixum, in eoque iustitiam nobis imputatam in exhibita vmbrarum veritate amplectamur 1. Cor. 5. ve. 7.

sed alterum etiam beneficium in Christo possidere incipiamus renouationem ad Dei imaginē, quæ veteris hominis mortificatione & noui viuificatione constat, idque secundum singula Dei præcepta Matt.5.v.18.19.20. Esai. 54.v.9.13. Ioann.6.v.45.

6. Et cùm Dei maiestas sit summa, sicut initio Legis suæ ait: Ego sum Iehoua Deus tuus, à quo omnes essentiam ipsam habemus, solusque ipse sit sapiens, cui nemo fuit à consiliis, cuique nemo prior dedit aliquid vt ei retribuat, ideoque testatus sit nihil sibi placere præter obedientiā, qua toti eius maiestatē suspiciamus ab eaque pendeamus: sine se non aliter honorari velle, quàm secundum suam voluntatē à se certo verbo patefactam, qui solus idoneus de se est testis, quò in omnibus emiñeat eius maiestas: sanè id tantū rectum iudicare debemus quod ipse præscribit & eo modo quo præscribit. Reliqua omnia quę ei in cultū obtruduntur nō præscripta ab eius maiestate aut aliter præscripta, abominatio sunt in eius conspectu. Ies.1. Et Malach.1. à v.1. vsque ad 8. Nunc autem ad vos mandatum hoc ô Sacerdotes: nisi audieritis & posueritis super cor, vt detis gloriam nomini meo dicit Iehoua exercituum, mittam in vos maledictionem, maledicamque benedictionibus vestris, & etiā maledixi ei ꝗ nō ponatis super cor. En ego corrumpo vobis sementē & dispergam stercus super vultus vestros, stercus, inquā, solennitatū vestrarū, & assumet vos ad se. Item Deut.12.v. 8.&32. Non facies quod bonum tibi videtur.

Quic-

Quicquid ego præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nō addas quicquā, nec minuas. Cui textui Dominus continenter attexit initio 13. cap. Deut. grauissimum mādatū vt si vel miraculo doctrina confirmetur quam ipse de se, & voluntate sua non præscripsit, à precepto nos dimoueri nolit 2. Thess. 2. v. 3. 8. 9. 10. 11. 12. Esse enim Pseudoprophetam & miraculum ex operatione Satanę profectum, iusto tamen iudicio in probationem electorum & pœnā eorum, qui veritatem non habuerunt in pretio. Et diligenter notanda est cōnexio, quam diximus inter versum vltimum 12. cap. Deut. Non addes quicquam, nec detrahes: & initiū sequentis: Cùm surrexerit in medio tui Propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum & portentum, eueneritque signum & portentum quod locutus est tibi, dicendo: Eamus post alienos Deos quos non nosti, & colamus eos: non obedies verbis Prophetæ illius aut somniatori illi: quia tentat Iehoua Deus vester vos, vt sciat, an diligatis Iehouam Deum vestrū toto corde vestro & tota anima vestra. Huc pertinet obiurgatio Christi Ioan. 4. v. 47. 48. Nisi signa & prodigia videritis nō creditis. Summum miraculū est missio Euangelij offerens omnia ab initio mundi miracula superantem dilectionem Patris, qua Filium pro nobis dat in λύτρον & caput Ecclesiæ per fidē in ipsum. Sic Deus dilexit mundū (ait ipse Filius miraculū ipse admiratus) vt Filiū suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam

Ioann.3. Item 1. Cor. 1. versu.22.23.24.30.31.
Iam si Christus reprehendit hoc vitium quod summo huic miraculo, quod Angeli cũ gaudio admirantur 1. Pet. 1. non credant nisi videant aliis veris miraculis id confirmari: quid de illo scelere dicet eorumque perfidia, qui miracula requirunt, quibus summum illud miraculum in articulis fidei per partes expositum, & è quo fluit inscriptio legum in corda vnà cum doctrina fidei & legis euertitur in animis hominum, quibus confirmandis omnia alia miracula tam sub lege quàm sub Euangelio ob infirmitatem humanam seruierũt. Hæc ideò tenenda, quòd falsa doctrina euertens Euangelium & verum Dei cultum, adeò in fine seculi grassatura est, vt si fieri possit etiam electi seducantur in errorem, Matth. 24. Ideò ad legem & testimonium inquit Iesaias.

7. Accedit & altera ratio initio legis proposita, cur à Dei ore toti pendere debeamus. Deus tuus sum, ait, qui eduxi te ex Ægypto domo seruitutis: quò non tantùm iure hanc quam dixi obedientiam præscribat, sed benignitatis etiam suæ gustu inscribat. Nam si memores pristinæ calamitatis, cogitabimus Deũ se totum nobis impendisse in persona Filij, quis non totum ei se impendat, tantam pristinam calamitatem suam, tamque effusam eius benignitatem Spiritu fidei sentiens? Ideo sæpè hoc nobis reficicemus: qui sedebamus in vmbra mortis Luc. 1. Sic Dominus Israelitico populo inculcat, memento quòd fueris seruus in Ægypto. Quod enim homines non vt par est sa-

est salutem suam magni faciunt, ideoque Spiritui eius totos se regendos ei non addicunt, vt dirigantur eorum pedes in via pacis, inde oritur quod non reputant apud se, vel obliuiscuntur è quanta calamitate erepti sint, quantaque & quàm certa sit hęc liberatio. Ideo inquam Deut. 4.v.20. vt inscribat legem suam ipsorum cordibus renouat populo memoriã liberationis è fornace ferrea ex Ægypto vt essent ipsi in populum hæreditarium, vtens veluti stylo ferreo propter duritiam cordis, cui lex inscribenda est, & vt profundius & firmius hæreat. Ex hac obliuione pristinæ calamitatis & excelsæ liberationis manu Dei factę, cui meditandæ tota vita consecrata esse debebat, oriuntur otiosæ & perniciosæ speculationes extra & præter Dei verbum de religione & nouis articulis fidei cudendis, & omne genus ἐθελοθρησκεία de qua re Paulus Col.2.v.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.

8. Postremò eo ipso quo initio legis suæ Iehouam se vocat & Deum nostrum, docet totam suam legem respõdere naturæ Legislatoris qui est spiritus, ideoque se per Christũ redemtorem virtute Spiritus Sancti in ipsa mente seu spiritu suorum redemptorum velle mortificare peccatum quod odit, & inscribere suam voluntatem. Qua de re Paulus copiosè Rom.7.ve.12.14.22.24. Et Seruator ipse Matth.5.v.21.22.27.28. Vult igitur Legislator, vt in nulla re externa quãtumuis ab ipso præscripta subsidant, sed earum scopum esse vt ipsemet tum pro paterna sua indulgentia, tum

pro ruditatis nostræ captu iis adminiculis mentem nostram ad se qui spiritus est subueheat: ideoque grauiter redarguit populum hærentem in externo cultu, nec eum dirigentem in legitimum, hoc est, spiritualem cum natura Dei consentientem finem vt populus in fide & pœnitentia se exerceret, atque ita in vera inuocatione & celebratione Dei. Vide Psal. 50.

Sequitur nunc vt inscriptionem hanc legis in corda per Spiritum Christi in singulis præceptis breuiter, quantum fert operis instituti ratio, expendamus?

9. In primo itaq; præcepto vult nos Spiritus Sanctus magis magisque docere agnoscere, quòd ante patefactionem suam caruimus omni vera & saluiuifica Dei cognitione Ioann. 1. vers. 5. Iesai. 53. Omnes sicut oues errauimus. Ephes. 2. ver. 1. 2. 3. Actor. 26. ver. 17. 18: & sentire mali huius reliquias etiamnum in parte animæ non regenita inhærentes Ephes. 1. vers. 18. tenebras nimirum & propensionem promtissimam ad veri Dei obliuionem & ad fingendum falsos Deos: & hoc malũ detestabile mortificare in nobis vult, corruptionẽ inquã nostræ naturæ & ingenij nostri vanitatem, & contrà magis magisque accendere veram lucem: ne loco Patris cœlestis alium qui non sit Pater Domini nostri Iesu Christi colamus: neque loco Filij Dei incarnati è semine Dauidis alium veneremur Matth. 22. & 24. 1. Ioann. 1. vers. 1. 2. 3. néve loco Spiritus Sancti, qui à Patre & Filio procedit,

dit, & per Prophetas & Apostolos locutus est (è qua nota ceu viua imagine verbo Prophetico & Apostolico impressa perpetuò vult agnosci: neque enim à semetipso vult dissentire) alium Spiritum colamus: néve præter Patrem, Filium & Spiritũ Sanctum, qui sunt vnus verus & æternus Deus, vllum alium Deum habeamus, aut quicquam colamus, seu honorem vero Deo debitum aliò transferamus. Quatuor autem præcipuè partibus constat honor ipsi proprius, cujus studium Spiritus Sanctus in primo præcepto vult inscribere cordibus nostris, & corda fidelium in eo obfirmare, ita vt nolit à nobis timeri alienos Deos 4. Reg. 17. vers. 35. 36. 37. 38, 39. eorúmve miracula seu Satanæ terriculamenta ne quicquam de honore Dei detrahẽtes, ipsis tribuamus: ideo vel minimum etiam metum eorum longè à nobis abesse vult. Eæ sunt adoratio, Fiducia, Inuocatio, Gratiarum actio.

10. Adoratio eiusmodi donum Spiritus Sancti est à vera Dei cognitione manans, quo Angeli & homines se minus quàm puluisculum, ac planè nihil fore agnoscunt, & profitentur, nisi ipso essentiam dante, & singulis momentis conseruante: quò in sui dejectione emineat atque glorificetur ipsius majestas. Adorationem hanc non tribuit Dauid Deo, (& Ioab id animaduertit) cùm cor eius exaltatum est, & numerari iussit populum Satanæ instinctu. Puluis non deferebat

Creatori honorem debitum, sed in honore diuinę maiestatis proprio exaltabat vt suo 2. Samuel vlt. Item Actor. 12. v. 22. Ideo maiestatis læsæ crimen est adorationem transferre aliò. Et quia homines rarò accuratè discernunt inter honorem, qui Deo est proprius, & politicum qui creaturis defertur, quin subinde aliquid illius huic admisceant, prohibet Angelus ne Ioannes coram se procidat Apocal. 22. v. 9. Et Petrus similiter Actor. 10. ver. 26. Sub adoratione continetur conscientiarum subiectio: quòd nimirum conscientiæ se omnibus eius legibus, legumque sanctioni subiiciunt, à quo ipsam essentiam habent Deut. 26. v. 17. 19. Et c. 27. v. 25. 26. Gal. 1. v. 1. 4. Hæc, inquam, conscientiarum subiectio species adorationis est, atque ita honoris, qui soli Deo debetur, nempe præscribere leges conscientiis Dan. 3. v. 10. Regis decretum non poterat obligare cuiuspiam conscientiam in qua solus Deus regnum exercet, & tribunal in ea erigit. Nec Danielis socij conscientiam suã ei subiiciunt, sed Legi Dei. Notum sit tibi, ô Rex, inquiũt, quòd Deum tuum non adoramus: ideoque & externam adorationis professionẽ recusant. Vt enim totius hominis tam corporis quàm animæ creator est solus Deus: ita & ab vtraque parte adoratio, quam dixi, ei soli debetur. Et impium esset diuortium animam adorare Deum verum, corpus Deum Falsum: nec id solum, sed impium etiam est diuortium internam adorationem apud se supprimere ac sepelire, ne in externam à Deo mandatam testifica-

ficationem ad Dei gloriam & proximi ædificationem emergat. Matt.10.v.31. Luc.12.v.8. Et Marc.8. Vt vt enim in adoratione primum locum habeat interior animi affectus, ab eo tamen non est dirimenda externa à Deo mãdata confessio & celebratio. Ergo conscientiarum subiectio erga ipsius mandata, & annexas promissiones atque minas sub adoratione continetur. Quod clarius patebit ex Iesai.cap. 66. Ad hunc respicio, ait Dominus, qui humilis est, & contritus Spiritu, tremitque ad sermonem meum. Non ad verbum legis pij tantùm contremiscunt, sed ad omne verbum Dei, atque ita ad promissiones quoque, dum reputantes, quàm ipsi nihil sint, quanta verò Dei promittentis maiestas, reuerenter eas amplectuntur. Sic Dauid Psam.octauo. versu quinto, sexto: Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quod visitas eũ? Idem Dauid 2. Sam. 7. vers.10.12. 18.19. 20. 21. Dixit Nathan ad Dauidem: Annuncio tibi quòd domum tibi faciet Iehoua &c: Ingressus itaque Dauid, sedit coram Iehoua, & ait: Quis ego sum Domine Iehoua, & quæ est domus mea quod adduxisti me huc vsque, & parum adhuc hoc fuit in oculis tuis Domine Iehoua, & etiam locutus es super domum serui tui in longinquum. At ista est lex hominis, qui est Dominus Iehoua: & quid addet vltra Dauid loqui ad te? & tu nosti seruum tuum Iehoua. Propter verbum tuum, & secundum cor tuũ

fecisti omnem magnitudinem hanc, vt notam faceres seruo tuo. Et paulò pòst. Nunc itaque Iehoua Deus (tu enim es Deus, & verba tua erunt veritas, & locutus es de seruo tuo boni hoc) nunc, inquam, velis, & benedic domui serui tui, vt sit in seculum coram te. Hinc discimus veram adorationem, & solidam pietatem in eo consistere, vt sensus omnes compositos habeamus in obsequiū Dei, nec quicquā nobis confidenter aut proteruè arrogemus. Huc pertinet etiam adoratio, qua Ecclesia se subiicit afflictionibus, etiamsi Dominus non propter peccata eā affligat, vt in Iobo videre est, & in cœco Ioā.9. cognoscens q Dominus non tantùm plenam potestatem habeat disponendi de suo opificio pro sua voluntate, sed semper coniunctam cum summa sapientia, iustitia, bonitate, veritate: ideoque scit finem afflictionum fore semper salutarē: scit enim cui crediderit, vt loquitur Apostol. ad Timotheū: Ecclesia enim semper præsupponit Christum caput, qui vt per afflictiones glorificauit Patrem, ita & Ecclesia in Christo Deum sibi reconciliatum habens, se Christo capiti, & in ipso Patri & Spiritui Sancto submittit Eph.5. Psal.45. v.7.8.12. Ideo Christus etiam ait, cui vxor aut liberi aut propria etiam vita carior est, quàm ego, non est me dignus Matth.19.

11 Fiducia est ex cognitione formæ diuinæ seu naturæ ab æterno perfectè bonæ, iustæ, misericordis, sapientis, omnipotentis, veracis ipsi adhærendi studium, in eoque acquiescendi

quiescendi [illegible] fide eius verbo nitens, quo se summoque voluntatem [illegible] virtute Spiritus Sancti nitens, Roman. 4. versu 20. Psalm. 56. In Deo laudabo verbum, in [illegible] laudabo verbum. In Deo fido, quid faciet mihi homo &c. Gustat quidem fiducia Dei bonitatem Psalm. 34. versu 9. Gustate & videte quod bonus est Dominus, Beatus vir qui sperat in eo. 1. Petr. 2. ver. 3. Et Psal. 36. v. 8. 9. 10. Apud te est vena vitae, in lumine tuo videbimus lumen. Sed tamen haec vera fiducia potissimum est [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Deo, cum cor [illegible] & [illegible] [illegible] in Deo non sentiens, imò terrores, tamen in eo acquiescit, contenta solo eius verbi testimonio, et si diu promissa differantur vide Habacuc 2. v. 3. Ideo in Psalm. dicitur: Domine [illegible] cor meum.

12. Inuocatio est receptus cordis seu fidelis animae ad Deum, & quidem secundũ eius voluntatem, quae semper est cum summa sapientia, bonitate, & nostra salute coniuncta, quotiescunque vrget aliqua necessitas, vt certè sensus infinitorum malorum intra & extra vrgere nos debet, vt nobis diffisi ad ipsum confugiamus freti ipsius misericordia & veritate, Exod. 34. atque ita reipsa seu experiẽtia ab eo accipiamus, quod fiducia in promissiones apud Deum scimus esse repositum. Deus enim inuocatus nũquã suis deest. Ideo hũc titulum gerit in Psalmis, Deus exaudiens preces. Sic mandatum & promissio extat Psal. 50. vers. 15. Inuoca me in die angustiae & eruam te.

Primùm cùm perfugium cordis esse dicimus ad Deum, intelligimus propriã eius sedẽ in anima fideli esse Psal. 78. v. 34. 35. 36. Si occidebat eos quærebant eum ac reuertebantur, ac recordabantur quòd Deus esset rupes eorum, & Deus excelsus redemtor eorum: & blandiebantur ei ore suo, & lingua sua mentiebantur ei, cor autẽ eorum non erat rectum cum eo.

Deinde secundũ eius voluntatẽ addimus ex 1. Ioann. 5. v. 14. ne inuocationem distrahamus à duabus istis partibus honoris diuini ordine priorib⁹, adoratione nẽpe & fiducia. Cũ enim adoratio sit veneratio summa ac cultus, quem quisque ei reddit, cùm vt puluisculus eius magnitudini se submittit: fiducia verò in ei⁹ promissiones respiciat, freta eius bonitate, sapiẽtia, veritate, adorationem certè abolet, suamque voluntatem in locum Dei volũtatis, quæ sola sapiens est & bona, substituit, qui non secundũ Dei voluntatẽ precatur, atq; ita ipsius precatio fit peccatũ, vt Dauid loquitur. Et hoc est tentare Deum (siue experiri an facturus sit contra suam naturam, atque ita abnegaturus semetipsum) ac certis veluti finibus tanquam cancellis eum circunscribere quos ei egredi fas non sit Psalm. 78. versu 41. Reuersi sunt & tentauerunt Deum & Sanctum Israëlis limitauerunt. Deinde abrogatur ei fides, quòd non sapienter & bene secundum fœdus gratuitum omnia dispositurus

sit. Ergo

fit. Ergo contineat se inuocatio in fœdere gratuito, & sic erit secundum eius voluntatem: quod sapientis & boni Patris officium erga nos sit facturus sicut promisit, cuius altitudini, vt nos submittamus, par est.

Promisit quidem Psal.145.v.19. se facturum voluntatem timentium se: sed quæ haudquaquam ab adoratione & fiducia sit distracta, aut Deum cogat in ordinem, ideo addit, timentium se. Quamobrem in alio Psalmo nempe 37.v.4.ait: Delecta te in Domino, & Domin' dabit tibi petitiones cordis tui. Volue super Iehouam viam tuam, spera in ea, & ipse faciet. Et vers.31: Lex Dei in corde eius: ideo non nutabunt pedes eius. Et Psalm.119: Mandata tua consiliarij mei. Et in fine eiusdem Psalmi: Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus. Cùm autem hæc non sint nostrarum virium, opus est vt Dominus effundat per doctrinam verbi Spiritum precationis, & doceat nos voluntatem suam, quæ est inscriptio legis in corda: quantoque studio id petere debeamus, docet nos non frustra à Dauide toties iterata repetitio in eodem Psalmo. Et Dominus per Zachariã promisit: Effundam, inquit, Spiritum gratiæ & precum. Vide Rom.8.v.15.16.23.26.27.

13. Hæc etiam causa est cur Deus peccatores (id est obstinatos) non exaudiat, nec remittat illis peccata, etiamsi orent vt remittat: Quia inuocant contra Dei naturam, & sic

contra eius voluntatem, vt Dominus ipse docet Exod. 34: vbi primùm sic de sua natura docet, quòd tollat iniquitatem, transgressionem & scelus: quibus exprimitur magnitudo clementiæ, quòd nō leuibus delictis, sed grauibus flagitiis, non paucis, sed multis, & quidem sæpissimè offensus, tamen sit propitius eis qui adducuntur ad resipiscentiam. Verùm ne hęc Dei natura ad peccandi licentiam trahatur, additur hanc quoque eius esse naturam cum superioribus coniunctam, vt iniquitatem non remittat, ad quam accedit obstinatio. Mundando, inquit, non mundabit, id est nullo modo mundabit, nempe obstinatos seu reprobos: etiam electos suos nō aliter exaudit, nec peccata aliter iis remittit, quàm si prius ea damnent. Hæc enim est Dei natura, vt nullum peccatum remittat, quod non priùs damnet, siue quin semper prius peccatores examinet, & pro iudicis officio in conscientiis condemnet. Qui igitur cum proposito perseuerandi in peccatis inuocat, vt Deus sit propitius, non exauditur, imò tentat Deum, quia pugnat cum Dei natura, & cum ipsius voluntate, quæ est, vt peccator conuertatur (non vt perseueret) & viuat. Præterquam autem quòd hæc Dei natura est, rationes tamen duę assignari possunt, cur hunc ordinem seruet Deus in modo procedendi vel agendi cum electis. Prima est, quia laus iustitiæ Deo non tribuitur, nisi peccatum agnoscatur & damnetur, atque adeò sentiatur quātum sit malum

malum diuinam maiestatem offendisse: atque ita qui reatum conatur effugere aduersus Deū est contumeliosus, quod tamen pauci considerant, dum tergiuersantur aut peccata excusant: atque cùm sibi ipsi non sint iudices, vt ingenuè delicta sua fateantur, Dei iudicio obstrepere certum est, vide Psalm. 32. Et sic prima pars honoris diuini abstrahitur ab inuocatione, nempe adoratio. Secunda ratio est, quia nec ipsius misericordia agnosceretur, nec gustaretur eius bonitas quanta sit, & quàm effusa, nisi prius agnita culpa, & commerita pœna: & sic pugnaret cum secunda honoris diuini parte, nempe fiducia: ideoque Dauid Psalmo 51. clamat vt Dominus sit ei propitius secundum magnam misericordiam suam, ad quam inuocationem Dominus preparauit eius mentē sensu magnitudinis sui delicti, vt in eodem Psalmo aliquoties repetita confessione testatur. Postremò inuocatio etiā non exauditur quæ fit secundū doctrinas hominum, quia non fit secundum eius voluntatem Matt. 15: Frustrà me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Ideo Iesai. 30. ca. v. 21: Et audietur à tergo vox eius, quæ dicet (scilicet sub regno Christi) hæc est via, ambulate in ea. Vide etiā Esaiā 2. c. v. 3.

14. Gratiarū actio quarta pars est honoris, quē Deus sibi soli vendicat: quia vt ipse solus omnis boni fōs est, nec vlla vspiā boni gutta reperitur, quę nō ab ipso fluat, meritò quicquid est in nobis vel aliis creaturis boni cū celebratione refertur ad suū principiū. Et sanè Deus

priuatur fructu suorum beneficiorum, nisi ei cum laude accepta ferantur: non quòd fiat aliqua accessio ad Dei gloriam, sed quòd æquũ est eam, quæ in operibus suis lucet, non sepeliri aut obscurari, minimè verò omnium aliò transferri. Ordo verò in glorificatione & celebratione Dei seu gratiarum actione is potest teneri, qui positus est in Symbolo, vt facto initio à creatione progressus fiat ad beneficium redemtionis, fluens ex æterno beneplaciti, nos gratis diligendi decreto, & sanctificationis quæ initiũ est sequuturæ glorificationis ex eodem gratuito electionis fonte, vt in hac & æterna vita pro tantis diuitiis gloriosæ suæ gratiæ seu misericordiæ in Christo celebretur Ephes.1.v.3.4.5.6.7.8.13. Coloss.1. v.12.13.1.Pet.1.v.5.6. Cum quo ordine indiuiduo nexu cohæret celebratio iustitiæ suæ & iræ aduersus peccatum in iusto exitio, & confusione Diabolorum, & omnium reproborũ atque hostium regni Christi Apocal.16. v.5.6. 7. Et cap.18. Item cap. 19. à 1. vsque ad octauũ versum Exod. tertio, versu octauo Et cap. 15. vers.1.2.3.4.5.

15. Testificatio gratitudinis erga homines, quæ etiã vocari solet Gratiarum actio nõ est partitio honoris inter Deũ & homines, sed est testificatio, Deũ per ipsorũ manum nobis benefecisse, & obligasse nos ad dilectionem seu mutua officia, & id ipsum etiam propter Deũ, & ad eius gloriam. Siquis autem beneficia non ad fontem referat, sed in creaturis

turis hæreat, facrilegium admittit, Deumque qui gloriæ fuæ Zelotes eſt, debito honore defraudat, id quod fecit Nebucadnezar Dan.3. ve.26.27.31.32. Teſtificatio hæc gratitudinis erga alias creaturas non fit, quantumuis Deus nobis per eas benefecerit: quia Deus totum ſuum cultum in Lege incluſit duabus tabulis, dilectioni Dei propter ſe & dilectioni proximi propter Deum. Ergo non agimus gratias Soli vel Angelis, quia Deus nō obligauit nos ipſis ad mutua officia. Diliges, inquit, proximum tuum ſicut teipſum: Nō ait Diliges Solem, Angelos ſicut teipſum. Vide Deut.4.ve. 19. Hebr.1.v.14.

16. Habemus iam quatuor illas partes honoris, quem Deus ſibi vni vendicat, & ad quē Spiritus Sanctus in primo præcepto mentem informat: quod vt fiat, docet abnegare noſmetipſos (quæ abnegatio noſtri velut ingreſſus quidam eſt in ſcholam Chriſti, vt ipſe Dominus teſtatur) & contraria vitia in fidelibus mortificat, quorum vnum aut alterum exempli gratia ſubiiciam. Tyranni aliique impij retibus ſuis ſacrificant, inquit Habacuc cap.1.v. 15.16.17: hoc eſt ſuis conſiliis, adorationem, fiduciam, & celebrationē & gloriam tribuūt, quibus ceu retibus pios & innocentes irretiunt. Sed conſolationem addit Propheta ca. 2.v.1.2.3. Et Pſeudoapoſtoli ventrem Deum habent, eique ſeruiunt, non Dei gloriæ: ſed additur comminatio: quorum finis exitium, & gloria cum confuſione ipſorum, qui terreſtria curant, vide Philipp. 3.v.18.19.29.

17. Ad hæc cùm in idolum seu Deum alienum conuertatur id omne in quod præter Deum verum Patrem, Filium, & Spiritū Sanctum fiducia collocatur, perspicuum est collocationem fiduciæ in pronuntiata verba idololatriam & magiam esse. Psal. 58. v. 4. 5. 6. Alienati sunt impij à matrice, errauerūt ab vtero, loquentes mendacium. Venenum illis secundum similitudinem veneni serpentis, sicut aspidis surdæ, quæ obturat aurem suam, quæ non auscultat voci mussitantiū vtentis incantationibus peritissimi Deut. 18. v. 10. Quia & Deus suo honore fraudatur, graueque crimē aduersus primum præceptum committitur, cùm fiducia à Deo auocatur, & in verba pronunciata defigitur, vt in pronūciatione Euangelij Ioannis c. 1. In principio erat verbū &c. ad depellēdum tonitrua. Verba enim sunt testimonia symbola seu notæ rerum. Vt verba illa Ioannis non efficiunt sic etiam depellunt tonitrua: minimè verò omnium efficiūt λόγον quē denotant, qui ipsemet est creator omniū, sed testificantur ac docent, quæ sit illa persona, quę carnem assumsit, vt nos secū filios Dei faceret, adoptione gratuita: ideoque Euangelista ibidem scribit, missum esse Ioannē vt testificaretur de luce. Quàm autem nullius efficaciæ sit collocatio fiduciæ in verba pronunciata, quàmque iustas attrahat pœnas, vtpote quæ vim Christo propriā, syllabis trāsscribat, docet iustum illud Dei iudiciū Actor. 19. v. 13. 14. 15. 16. Quod iudicium multos ita perculit, vt comportatos libros magicos exusserint in con-

conſpectu omnium. Verba autem Lucæ ſic habent: Aggreſſi ſunt quidam ex circulatoribus Iudæis exorciſtis nominare ſuper eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicẽtes, adiuramus vos per Ieſum quem Palus prædicat. Erant autem quidam filij Sceuæ Iudæi principis Sacerdotum ſeptem, qui hoc faciebant: reſpondens verò Spiritus malus, dixit, Ieſum noui & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis. Et inſiliit in eos homo, in quo erat Spiritus malus, & ſuperatis illis inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent ex domo illa.

18. Poſtremò hortatur Spiritus Sanctus populum Sanctorum, vt roboret ſeſe & confortet in aſſerendo puro Dei cultu, aduerſus Antichriſtum & Deum Maozim, cui ante extremum iudicij diem à deſertoribus fœderis gratuiti tribuetur adoratio, fiducia, inuocatio, & gratiarum actio. Prædicit autem Daniel, fideles Dei virtute inſtructos conſtanter acturos, & ne incauti circumueniantur, deſcribit Antichriſtum, eiuſq; Deum Maozim ca. 11. v. 36. 37. 38. 39. 45. his verbis: Faciet iuxta volũtatem ſuam Rex, & extollet ſeſe atque magnificabit ſe ſuper omnẽ Deũ, & contra Deũ Deorum loquetur mirãda, & proſperè ei eueniẽt, donec finita fuerit ira. Nã deciſio facta eſt, & ad Deum Patrum ſuorum nõ adiiciet animũ, nec ad concupiſcentiam mulierum, nec ad vllum Deum adiiciet animũ. Nam ſuper omnia magnificabit ſeſe, & Deũ Maozim in loco ſuo venerabitur, Deũ quoque quem nõ nouerunt

maiores eius venerabitur auro & argento, & lapide pretioso, & desiderabilibus. Et faciet hæc omnia, vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognoscet & multiplicabit (illi) gloriam, dominarique faciet eos in multis, & terram diuidet pretio, & plantabit tabernaculum suũ Ephod inter maria, in monte inclyto sanctitatis, & veniet vsque ad summitatem eius, & non erit ei (adiutor.) Vide etiã 2. Thess. 2. ver. 6.7.8.9.10.11.

19. In secundo præcepto Spiritus Sanctus efficaciter docet electos cultum exhibendum esse Deo, qui cum eius natura quæ spiritualis est conueniat, Ioan. 4. Mortificari igitur vult corruptionem illam nostri, qua in modo colendi Deum mens nostra euanescit ad sua deliria. Quod autem in hoc, vt etiam quovis alio peccati genere, crassissimum est vitium proponit, vt sub eo species omnes carnalis cultus comprehendat. Prohibet igitur primum, ne Deum vlla imagine representemus, quia si id fiat, iam ipso facto (vt nil aliud accedat) forma seu maiestas Dei læsa est Rom. 1. v. 21.22.23. Mutârunt gloriã incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis &c. Deinde ne ab aliis etiam effictas imagines deuotione vlla aut corporis gestu veneremur, neve arbitremur Deum eo pacto coli Deut. 4. v. 14.15. Actor. 17. v. 24. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, cùm sit cœli & terræ Dominus in manufactis templis non habitat, nec manibus hominum colitur Actor. 7.

20. Quod

20. Quod si verò Deo imaginem facere prohibemur, multò magis conari Deũ ipsum facere Ierem. 16. Numquid homo sibi faciet Deum, cùm ipse non sit Deus. Et sanè valdè disparata est Dei natura ab omni materia cor ruptibili. Quod Dominus per Iesaiam pulchrè ob oculos ponit cap. 44. v. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19: Quis formator est Dei, & quis sculptilis conflator, quod nullam ad rem vsui est? Et paulò pòst: Succidet sibi cedros, tollet ilicem & quercum, roborabitur ad ligna syluæ: plantabit pinum, quam pluuia enutriet. tum erit homini in incendium: Nam accipiet ex illis & calefaciet se: præterea furnum accendet, & coquet panes, Deum quoque efficiet & adorabit: finget idolũ & prosternet se coram eo, partem eius comburet igni, ex parte carnem comedet: assabit assaturã, & saturabitur: Dein de calefaciet se & dicet, ô he calefactus sum, & vidi ignem: reliquias eius in Deũ vertit, in sculptile suum: incuruat se coram eo, adorat & precatur illud, dicens: libera me, quia Deus meus es. Nescierunt nec intellexerunt, quia obleuit oculos eorum ne videant, & cor eorum ne intelligant. Non redit ad cor suum, non est sensus, nec intelligentia, vt dicat, partem eius combussi igni: etiam super prunas eius coxi panem: assaui carnem & comedi: residuum eius in abominationem vertam? Coram trunco ligni incuruabo me, pascit cinere, cor seductum inclinat eum, vt non liberet animam suam neque dicat, An non mendacium in dextra mea?

21. Iam autem horrenda sanctio quæ exstat Deut.27.ver.25:quem electũ Dei non moueat, vt à tanto crimine se contineat? Maledictus (inquit Deus) est vir ille, qui fecerit sculptile, & conflatile abominationem Iehouæ, opus manuum artificis, & posuerit in abscondito, & respondebit vniuersus populus & dicet Amen. Et de sacrificiis quæ fiunt ad idola inquit Apostolus 1. Cor.10.vers.19. 20. Quæ gentes immolant, Dæmoniis immolant, & non Deo. Ideo Dauid Psal.16.ve.3.4. Multiplicabuntur dolores eorum qui post alienum(Deum)festinant: non libabo libamina eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum in labia mea.

22. Et vt ab omni fictitio cultu prorsus abstineremus, nõ modò prohibuit in lege statuas sibi erigi, quibus ipse repræsentetur, sed etiam titulos quoslibet, & lapides consecrari vetuit, qui in adorationẽ prostarent Leuit.16. v.1. Num.33.v.52. vetat, inquam, vllum signum lapidem, aut aliud quippiã sibi erigi deuotionis ergo, siue ad quod fiat adoratio.

23. Species etiam omnis mali vitanda, ne videamur conformitatem quærere cum cultu idololatrico 1. Thess.5. ve.22. Ideò redarguit Spiritus Sanctus Regem Achas (2.Reg.14.ve. 10. vsque ad 16.) quòd vt assentaretur Assyrio altaris figuram miserit Hierosolymam respõdentem figuræ altaris quod erat Damasci: Sacerdotem quoque Vriam in omnem posteritatem notauit, quòd speciem illam mali, ipsumque adeò malum non auersatus sit, sed man-

mandato regio obſecutus præter officium altare ad ſimilitudinem illius extruxerit, iuxta altare Domini collocârit, & ad diuinum cultum in eo peragendum vſurparit. Id quod etiam hodie & cum Lege Dei, & cum libertate Christiana pugnaret Gal.5.v.1.

24. Poſtremò Spiritus Sanctus inſcribendo hoc ſecúdum preceptum cordibus efficit, vt electi vitent imaginē beſtiæ, & ne accipiāt characterem eius, propoſitis pœnis æternis, quibus ceu fræno eos à tanto ſcelere auocat: eſtq; imago quę loquitur & numerus beſtiæ, quæ iuſſit facere imaginem beſtiæ 666.& numerus hominis: contra etiam præmia æterna promittit iis qui ab abominatione illa conſeruati fuerint impolluti. Quid enim Christo cõmune cum Belial, aut templo Dei cum idolis 2.Cor.6.v.14.vſq; ad 18. Apocal.13.v.14.15.16.17.18.Et cap.14.v.8.9.10.11.12.13.Et cap.15.v.2.3.4.Et cap.17.v.4.5.18.

25. In tertio præcepto vult nos docere agnoſcere Sp.S.quantum ſit peccatum ac venenum Satanę vſurpare nomē Dei & ipſius verba, aut quæuis teſtimonia in vanum, hoc eſt, falſò, ſophiſticè, aut etiā leuiter: quia illis palàm vilipenditur ac læditur eius maieſtas: hoc verò poſtremo paulatim vileſcit. De primo ſic loquitur per Ieremiā c.34.v.18.19. Sic dicit Iehoua Deus Iſrael. Ego percuſſi fœdus cū patribus veſtris die quo eduxi ipſos è terra Ægypti è domo ſeruorū dicēdo: à fine ſeptē annorū dimittetis quiſq; fratrē ſuū, qui venditus fuerit tibi & ſeruierit tibi ſex annis, & dimittes liberū, vt nõ ſit ampliùs apud te. Et nõ audiuerūt

patres vestri me, & non inclinârunt aurem suã: & conuersi vos estis hodie & fecistis quod rectum est in oculis meis promulgãdo libertatem quisque proximo suo, & pepigistis fœdus coram facie mea in domo, super quã inuocatum est nomen meum: Et reuersi estis (hoc est mutastis consilium) & profanastis nomen meum, & reduxistis quisquis seruum suum, & quisque ancillam suam, quos dimiseratis liberos animæ suæ (hoc est ad arbitrium suum) & subegistis ipsos, vt essent vobis in seruos & ancillas. Propterea sic dicit Iehoua: vos non audiuistis ad promulgandum libertatem quisque fratri suo, & quisque proximo suo: Ecce ego promulgo contra vos libertatem, dicit Iehoua, gladio pesti & fami, & dabo vos in concussionem cunctis regnis terræ. Et dabo viros, qui transgressi sunt fœdus meum, qui non stabilierunt sermones fœderis, quod inciderunt coram me vitulo, quem conciderant in duo, & transierunt inter partes eius: principes Iehuda, & principes Ierusalẽ, proceres & Sacerdotes, & totum populum terræ, qui transierunt inter partes vituli, & dabo illos in manus inimicorum ipsorum &c. Ritus iurandi, quòd vitulum concidebant in duas partes (de quo Dominus ait fecerunt quod placuit in oculis meis) finem hunc habebat, vt & sectio & transitus ipse penetrarent in ipsorum animos, & ita horrerent fidem violatam. Secando enim ac deinde transiendo per partes vituli, imprecabantur sibi coram Deo, & à Deo talem interitum si promissis nõ starẽt:
neglexe-

neglexerunt tamen postea diram illam obtestationem interposito Dei nomine factã, ac velut Deo ipso interposito. Vide Gen.15.v.8. vsq; ad 18. vers.In sacrificio Abrahę cõciditur victima in duas partes in testimonium fœderis, & Deus ipse transit per medias partes.

26. Secundò vult etiam Spiritus Sanctus eam reuerentiam Dei loquentis cordibus nostris imprimere, ne præter ipsius scopum mẽtem & voluntatem, verbum aut nomẽ eius peruersè & sophisticè prętendamus, atque ita sacro ipsius nomine in finem præposterum abutamur. Qua de re Ierem.cap.7. Spiritus Sanctus (qui idem postea Ierem.31. Et Heb. 10.cap.se legem cordibus inscripturum promittit) sic Iudæos obiurgat. Sic dicit Dominus exercituum Deus Israël, Bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum in hoc loco, Ne confidatis verbis hoc est ne fiduciam ponatis ad verba mendacij dicendo Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini. Certè si bonas faciẽdo bonas feceritis vias vestras, & studia vestra: si faciendo feceritis iudicium inter virum & inter proximum eius: peregrinum pupillum & viduam ne oppresseritis, & sanguinem innoxium nõ effuderitis in hoc loco, & post Deos alienos non ambulaueritis in malum vobis: tunc habitare faciam vos in hoc loco, in terra quam dedi patribus vestris à seculo vsque in seculum. Dederat Deus promissionẽ suæ pręsentiæ, vt confiderent Deum preces eorum exaudire, licet loco non includeretur sed ita

vt mentes eorum in cœlum subueheret, vt constat ex oratione Solomonis, ejusque promissionis testimonium erat templum 3. Reg. 8. v. 32, 34. 36. Hæc quidem promissio erat gratuita, nec suspensa cõditione propriarũ viriũ: fundata enim erat in vero tẽplo Christo, cui' typũ externũ templũ gerebat 2. Sam. 7. Ioan. 2. Data tamẽ erat promissio certo modo seu ad certũ finẽ, vt promissio & visibile testimoniũ tẽpli vnà cũ sacrificiis ipsis essent exercitia fidei, & resipiscẽtiæ, per quæ Sp. S. vult esse efficax nisi ipsius operationẽ impediat hominũ cõtumacia. Iam' etsi promissiones huiusmodi Euãgelicæ essẽt (quaten' Lex vestita erat Euangelio, ideoq; ex propriis virib' nõ requireret quicquã): tamẽ cùm promissionũ testimoniorũq; visibiliũ finis, sit fides & resipiscentia, certũ est eos, qui finẽ hũc contumaciter reiiciũt, etiã promissiones ad finẽ destinatas corrũpere & reiicere, earũq; participatione indignos se præstare. Deniq; verba mẽdacij eos allegare cũ promissiones & visibilia testimonia allegãt (vt Domin' disertè ea appellat) quia nõ eo modo allegãt, quo à Deo data sũt, nẽpe vt sint exercitia fidei & pœnitẽtiæ. Iã cùm in finẽ prors' cõtrariũ ea verterẽt, negat Domin' esse suã promissionẽ. Quasi diceret Dominus: Nõ est vestrũ mihi præscribere modũ in meis promissionib', & testimoniis gratię. Id autem facitis dũ vultis me cõtẽtũ esse vestris ceremoniis, & quãprimũ mihi obiicitis meã promissionẽ vobis liceat securè pergere in peccatis sine resipiscẽtia, adẽta mihi potestate vos puniẽdi. Verũ nõ patiar mihi modũ hũc præscribi, sed meũ est in meis promissis atq; mãdatis

vobis modũ & ordinẽ præſcribere. Is autẽ eſt vt ea referãtur ad finẽ, quẽ ego ſpecto fidẽ nẽpe & pœnitẽtiã, quę etſi De' ſol' efficiat in electis, nũquã tamẽ vox Dei per verbũ & ſymbola ad ea nos inuitãs reiicitur ſine malitia & cordis cõtumacia. Ergo declaratio illa Dei apud Ieremiã, Si bonas feceritis vias veſtras, nõ eſt cõditio exigẽs ex propriis virib', ſed mod' atq; finis ad quẽ tẽdebat promiſſio, & ſignũ tẽpli, nẽpe vt ad fidẽ & reſipiſcẽtiã adducerẽtur, quotidianoſq; illi' progreſſus facerent. Iã cùm nulla eſſet fides, nullus timor Dei impiũ hoc erat diuortiũ, dũ promiſſiones à ſuo fine auellerent: ſicque erant verba mendacij.

17. Sed addit Domin' tãtũ malum latêre in hoc nefario verborũ ſeu promiſſionũ ſuarum abuſu, vt arripiẽtes falsò Dei nomẽ & verba ſe ita faſcinẽt, vt etiã ſẽſũ peccati, quẽ Ethnici habẽt in ſe extinguãt (q Paul' vocat cauterio reſectã habere cõſciẽtiã) qđ ſũmũ eſt ſcel'. Eſt enim Deũ eiicere, q̃tũ in ipſis eſt è ſuo tribunali qđ erexit in omniũ hominũ etiã gẽtiliũ cõſciẽtiis. Sic enim addit Domin' per Prophetã v. 8. 9. 10. Ecce vos fiduciã adiicitis ad verba mẽdacij quę profectu carẽt. An furari occidere, adulteriũ cõmittere, iurare falsò, ſuffitũ offerre Baal, ãbulare poſt Deos alienos quos nõ cõgnoſcitis, & veniẽtes atq; ſtãtes corã facie mea in domo hac ſupra q̃ inuocatũ eſt nomẽ meũ dicetis, Liberati ſum' ad faciẽdũ oẽs abominatiões iſtas. An ſpelũca latronũ facta eſt dom' hæc, ſuper q̃ inuocatũ eſt nomẽ meũ in oculis veſtris: Etiã ecce ego video, dicit Iehoua. Sũma eſt: Si nullũ eſſet tẽplũ apud vos maneret

hic naturalis sensus in conscientia Deum vltorem fore scelerum, non esse veniendum impudenter sine sensu peccati in eius conspectũ. Nunc quia templum meo nomini ædificatũ est, illicque offertis sacrificia, estis fures, adulteri, homicidæ &c: ac si allegassem me impœnitentibus, vt desinam esse vindex tot & tantorum scelerum. Ergo ne hunc finem habebit meum templum, vt tegat vestra scelera, sicut spelunca tegit latrocinia latronum, quæ sine speluncis in via publica non auderent patrare. Id autem facitis dum prætextu meæ promissionis & templi (in quæ velut densas syluas vos abditis) licentiùs peccatis. Præstaret hoc pacto nullum esse templum, quàm vt seruiat meo dedecori, ac vestræ licentiæ ad omne genus sceleris.

28. Sic Satan abutitur verbo Dei, verbũque eius profanat dicens, Si Filius Dei es iace teipsum deorsum. Nam scriptum est: Quia Angelis suis mandauit de te, & ipsi tollent te in manus ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Dixit ei Iesus: Rursus scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum: Abutitur verbo Dei Sathan dupliciter. Primùm enim auellit promissionem à suo fine. Promissionum enim omniũ finis est filialis timor Psal. 130. v. quarto. Quod innuit Christus cùm ait, Non tentabis Dominum Deum tuum. Quod fit cùm abiecto eius timore non continemus nos sub eius obedientia, sed pugnantes cum ipsius voluntate & sapientia experimentum volumus capere eius potentiæ:

potentiæ: hoc eſt Deum ſecum committere & tentare, an ipſemet ſecum ſit conflicturus. Quod non modò eſt nomine verboque eius abuti, ſed eius maieſtatem etiam contumelioſè lædere. Deinde mutilat promiſsionem, quò fraudem occultet, & promiſſionis ipſius modum atque finem ſepeliat omittendo hæc verba In viis tuis. &c.

29. Sic non vult Dominus vt impius aſſumat fœdus ipſius in os ſuum: quia cùm fœderis finis ſit fides & pœnitentia, impius autem reipſa finem hunc à fœdere auellat, fœdus ipſum corrumpit atque profanat Pſalm. 50. Impio dixit Deus, Quid tibi ad enarrandum ſtatuta mea, vt ſumas fœdus tuum ſuper labiis tuis? & tu odiſti correctionem atque proiecisti verba mea poſt te. Si videbas furem currebas cum eo. Diuulſionem hanc fœderis à ſuo fine demonſtrat dum ait, Odiſti correptionem, nempe verbi Dei. Libenter enim impij Deo hanc gloriam concederent. Quicquid ex ore eius egreditur verum eſſe & rectum: ſed quia Deus loquendo in ordinem nos cogit, frenumque iniicit ad cohibendum prauos carnis noſtræ affectus in violanda vtraque legis tabula, moleſtus ac odioſus eſt carni legis ſermo. Itaque carnis noſtræ ferocia exaſperat nos contra verbum fœderis, quod quoniam cum natura noſtra pugnat non aliter quàm per correctionem & acrem reprehenſionem noſtrorum vitiorum legem Dei inſcribit noſtris cordibus. Quod non tantùm de ſecunda, ſed imprimis etiam

de prima tabula verissimum est: vt Paulus sapienter disserit in 1. Corinth. cap. 1. vers. 18, 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Hodie verbum crucis omnes qui Christo nomen dederunt, fatebuntur esse verum & rectum: at si illud ad iustum suum finem adhibeas vt in vna illa salute, quæ in morte Christi consistit piæ mentes se contineant, vtque corrigantur & damnentur viæ aliæ omnes ad salutem & execrandæ superstitiones, hîc se proferet manifesta fœderis conculcatio, ac veri scopi seu finis reiectio, obtentu sublimioris sapientiæ, quâ tamen stultitiæ ibidem damnat Apostolus. Ergo fieri non potest, vt quis ex animo dicat se totum verbum gratuiti fœderis amplecti, Deumque loquentem docili animo audire, vt ipsi obtemperet, nisi hoc propositum per Spiritum Sanctum in se sentiat, quòd velit se correctioni verbi Dei seu castigationi oris ipsius subiicere & regendum tradere, quantumuis carni sit molesta. Nisi enim hoc fiat finis semper erit à fœdere auulsus, ideoque non iam fœdus Dei in eius animo est, quod à suo fine auelli non potest.

30. Sic non vult Baptista impios seu hypocritas sibi benedicere, & apud se iactare fœdus adoptionis cum Abrahamo percussum, eove frustrà se consolari. Cùm enim à suo fine fide Abrahæ & pœnitentia illud auellerent, fœdus ipsum corrumpebant atque profanabant, nec sequebatur Deum abiiciendo impios hypocritas in pœnas æternas non staturum promissis factis Abrahæ. Filios enim

enim promiserat se daturum Abrahæ, quos ipse per fidem in Christum gratis adoptaret atque renouaret. Hoc Deum præstaturum & velle enim quia verax sit, & posse etiam filios ex lapidibus excitandi sint: ne putent Deum necessitate adigi, vt præter & contra voluntatem suam, auulso fœdere à legitimo suo sine, ipsos quantumuis peruicaces & obstinatos censeat inter filios Abrahæ, à Satana falso titulo delusos Ioann. octauo. Ideo Paulus 2. Timoth. secundo vers. 19. Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi. Item Eph. 4. v. 16. 17. 18. 19. 20. Vos non ita didicistis Christum, si modò eum audiuistis & ab eo edocti estis, sicut est veritas in Iesu.

31. Sit etiam in voto illo Baptismi fideliũ, quod promissioni gratuitæ inclusum est, parentes offerendo infantes Deo vouẽt ex fide, se eos cùm ipsius sint redemptionis & gratuiti fœderis iure, cuius sunt hæredes in doctrina fidei & resipiscentiæ educaturos, vt adulti fructum Baptismi sui percipiant, Deumque glorificent Gen. 18. v. 19. Rom. 4. v. 10. Qui igitur id non præstant profanant nomẽ Dei, cui id in Baptismo vouerunt, quodque super infantes inuocatũ est hoc pacto: Domine sis secũdũ promissionẽ fœderis tui gratuiti infanti meo propitius pater in Christo: & ego ex tuo mandato voueo me eũ tibi educaturum. Ideo conqueritur Dominus apud Ezechielem cap. 23. ver. 37. Infantes quos mihi genuerant, immolarunt Moloch, vbi ad idololatriam accedebat profanatio nominis Dei. Infantes

verò vbi adoleuerint, si institutioni & correctioni Domini se non submiserint, profanant nomen Dei, quod super eos inuocatum est: sed si parentes fecerint officium liberauerint se voto: sanguis verò qui perit, erit super caput filiorum contumacium, qui Deo eripiũt, quod semel ei fuerat consecratum. Vide Gē. ca.18.v.17.18.19. Vbi obseruabis fœdus notari his verbis, vt Dominus venire faciat super Abrahamũ, quod promisit. Finis enim gratuiti fœderis notatur & ordo, non meritum. Reddunt igitur se indignos hęreditate qui doctrinam fidei & timoris Dei reiiciunt, quia fœdus à legitimo suo fine auellunt, ad quem initiãdo eos in fœdus parentes destinarunt ac consecrarunt: quæ est horrenda nominis diuini profanatio. Qua de re admonendi Parentes, admonenda iuuentus: vtrique verò ad faciendum officium Ecclesiæ authoritate adigendi. Hic enim fons vnus & ferè præcipuus est corruptionis quæ omnia vastat in Ecclesia: sicut ex hoc fonte Deus discrimen notat fore, inter Abrahæ sobolem & Gomorrhæorum nefandam progeniem è fideli Abrahæ institutione suorum (velut Spiritus Sancti organo) in doctrina fœderis quod precedente cap.17. accepto circumcisionis sigillo cum Deo inierant.

32. Vbi etiam obseruãdũ cùm omnia vota sint gratitudinis testimonia, nihil nos rectè vouere nisi quod priùs ab ipso Domino acceperimus. Sic votũ Baptismi in præcedentē promissionē gratiæ includi debet vt rectè nuncupetur & soluatur. Sic & infantium fidei & pœnitentiæ professio corã Ecclesia cùm ado-

leuerint, vt Dei gratuitum donum ipsi accepta ferri & nuncupari debet: non autem vt aliquid ex propriis viribus ortum aut oriturum. Ideò qui simulat in vsu Eucharistiæ se gratias agere Christo pro vnica sua victima & fructu quem sentiat (nam memoriam suæ victimæ Dominus sensu ipsius fructus in animis fidelium fouet) cùm tamẽ propter cordis duritiem & infidelitatem omnis eiusmodi sensus sit expers, nec lætetur in Domino, certè votum non legitimè nuncupat, nec soluit, sed profanat nomen Dei. Quod vitium in hoc præcepto corrigere vult Spiritus Sanctus.

33. Adhæc, ἐπιείκεια Dei notanda est in toleranda nominis sui vsurpatione in pietatis exercitiis. Exempli gratia Leuit. 27. legimus rata fuisse vota (quæ non contra Legem Dei vnicam recti regulam facta essent) in rebus mediis, non quia penitùs Deo placerent, sed ne assuesceret populus ad impium eius cõtentum, si fraudator impunè Deo negaret quod promiserat. Quod accommodari potest ad Eucharistiam non intermittendam à populo licet non nihil rudi, non tamen doctrinæ fidei prorsus ignaro, impio, aut cõtumaci. Qui enim eiusmodi sunt, nõ fuerunt impunè: nam aduersus eos Ecclesia exercet spiritualẽ coërcitionem authoritate Christi Matth. 18. 1. Cor. 5. 2. Cor. 10. Quin & ipsa ruditas verbi correctione sic erudienda ne in contrarium vitium incurratur, nempe profanum Dei contentum ex diuturna cultus à Deo fidelibus mandati intermissione. Quæ cautio etiam probationis

pars eſt; an Deum mandato à ſe honore fraudare nos impunè poſſe exiſtimemus. Certè non magis quàm ij qui indignè accedunt, impunè feremus.

34. Poſtremò de leui vſurpatione nominis diuini prohibita etiam tum cùm verū dicitur; qua non ſatis reputatur quanta ſit Dei maieſtas, & qua fit vt paulatim vileſcat Dei nomen. Vide Matth. 5. v. 33. 34. 35. 36. Nominando autem Dei effecta temerè in iuramentis, non parcitur Dei nomini (etſi ſyllabis parcatur, hoc eſt disertè Deus non exprimitur) ſed per authorē ipſum temerè iuratur cùm gloriæ ipſius notæ effectis ſeu operibus eius ſint impreſſæ. Et prohibet Chriſtus ne vel minimi præcepti authoritas expoſitione eneruetur, aut contemtim prætereatur: aut ſi quis ita doceat homines, indignū eſſe aſſerit qui locū in Eccleſia obtineat Matth. 5. v. 19. 20. Vocat autem Chriſtus minima mādata non modò ex collatione inter ſe, ſed inprimis ex ſenſu hominū. Nihil enim per ſe minutū cēſere fas eſt, de quo præcipere dignatus eſt cœleſtis Legiſlator. Grauiter itaq; contra tertiū præceptum peccatur cùm cōtemtim accipitur quod ex ſacro Dei ore prodiit. Nam hoc pacto vilipenditur eius maieſtas, & hic contētus pugnat cū ipſius forma perfectè ſapiente, bona &c:

35. Sic in quarto præcepto vult in nobis mortificare Spiritus Sanctus, quicquid ex libero ad malum (quod vocant) arbitrio noſtro ſeu viribus propriis proficiſcitur, vt ipſe opus ſuum in nobis habeat 2. Cor. 3. Coloſſ. 2: Et maxi-

maximè ne in externo opere siue ceremoniis pietatem includamus: quæ res abominationi est Deo cùm illę non per se placeant Deo, sed propter aliud, nempe quatenus diriguntur in legitimum finem Iesai.1.& 58. Ideo Haggai 2. docet Dominus, si ceremoniæ dirigantur in legitimum finem, nempe ad exercendam fidẽ & resipiscẽtiam, qui spiritualis est cultus, placere earum obseruationem Deo, quia nimirũ fiunt ab iis qui vera fide recõciliati sunt Deo, & tendunt in legitimum finem, sanctificationem nominis diuini & cõfirmationem atque incrementum operis, quod Deus in ipsis incoauit. At cùm vsurpantur absq; fide & pœnitẽtia, & separantur à fine, quẽ diximus, ij quorũ polluta est mens & conscientia earũ contactu non sanctificantur, sed cõtrà suo contactu res sanctificatas coinquinant, vt disertè docet Apostolus Tit,1,v.15. Verba autẽ Prophetę Haggai digna sunt propter horum temporum corruptionem, quæ adscribantur cap.2.vers.12.13. 14.15. Sic dixit Iehoua, interroga nunc Sacerdotes Legem dicendo: Si tulerit quispiam carnes sanctificatas in ora vestimenti sui, & tetigerit ora sua panem aut pulmentum vel vinum, aut oleum siue quemlibet cibum numquid sanctificabitur? Et responderunt Sacerdotes dixeruntque Non: Et dixit Haggai: Si tetigerit immundus ob cadauer humanum aliquid illorum eritne immundus? Et responderunt Saeerdotes dixeruntque: Immundus erit. Cœpit itaque Haggai dicere: Sic populus iste & sic gens ista coram me dixit

Iehoua: & ſic omne opus manuum eorum,& quicquid offerunt illic immundum eſt. Similiter Malach.2.v.1.2.3. Nunc autē ad vos mandatum hoc ô Sacerdotes. Niſi audieritis & niſi poſueritis ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, dicit Iehoua exercituum, mittam in vos maledictionem, maledicamque benedictionibus veſtris, & etiã maledixi ei, quod non ponatis ſuper cor. Et ego corrumpo vobis ſemētem, & diſpergam ſtercus ſuper vultus veſtros,ſtercus,inquam,ſolennitatum veſtrarum, & aſſumet vos ad ſe:ſcietiſque quòd miſerim ad vos præceptum iſtud,vt eſſet pactum meum cum Leui, dicit Iehoua exercituum: pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis,dedique ea illi ob timorem &c: Et Ezech. 20.v.12: Et inſuper Sabbatha mea dedi eis, vt eſſent in ſignũ inter me & eos,vt ſcirent quod ego ſum Iehoua, qui ſanctifico eos. Ergo finis Sabbathi non erat vt ipſum Sabbathũ ſeu externa quies hominis ſanctificaret, atque ita in ſe ſeu opere illo operato,vt vocant,vel potiùs ceſſatione ab opere affixos retineret,quaſi in ea poſita eſſet ſanctitas:ſed vt inde diſcerent, quòd Deus is eſſet, qui eos ſanctificare vellet.

36. Sic in quinto præcepto Spiritus Sanctus mortificare in nobis vult omnē ἀστοργίαν, & cor reformare ad veram humilitatē & conformitatem cum Chriſto, qui parentibus obediit. ἀστοργίαν corrigere vult Chriſtus Marc.7.v. 9.10. Sanè bene abrogatis mandatum Dei vt traditionem veſtram ſeruetis. Moſes enim

dixit:

dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam: Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit aliquis Patri vel matri Corban (id est munus) quodcunque ex me erit tibi proderit, insons erit, nec permittitis eum amplius quicquam præstare patri suo & matri suæ.

37. Sic in sexto pręcepto mortificare vult Spiritus Sanctus omnem maleuolentiam, & cordis amaritudinem: Et contrà ad mansuetudinem corda formare Matth.11.ver.28: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meũ super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

38. Sic in septimo mortificare vult omnẽ obscœnitatem, & mentem informare ad verum castitatis studium, prout Deus ipse Spiritus castus est Mar.7.ve.14. Aduocata turba dixit eis Iesus: Audite me omnes, & intelligite: Nihil est extra hominem quod ingrediens in eum, possit eum polluere, sed quæ egrediuntur ex eo illa sunt quæ polluunt hominem. Si quis habet aures ad audiendum audiat. Et cum introiisset in domum, digressus à turba, interrogauerunt eum discipuli eius de parabola. Tunc dicit eis Iesus, Itáne & vos desipitis? non intelligitis, quicquid extrinsecus ingreditur in hominem non posse eum polluere: Non enim ingreditur in cor eius, sed in ventrem: & in latrinã abit purgans omnes escas. Dicebat autem, quod ex homine egreditur illud polluere hominem. Intus enim ex

corde hominum malę cogitationes egrediuntur, adulteria, scortationes, cædes, furta, auaritiæ, scelera, dolus, proteruia, oculus malus, obtrectatio; superbia, amentia: omnia hæc scelera intus exeunt & polluũt hominem. Hęc Christus.

39. Sic in octauo præcepto omne genus malas artes & rapinas quibus cum proximorum damno rem augemus Matt. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia purgatis exteriorem poculi patinæque partem, intus autem illa plena sunt rapina & intemperantia. Pharisæe cæce purga primùm quod est intra poculum & patinam, vt id quoque, quod extra est purum fiat. Sic Mich. 3. ver. 1. 2. 3: Et dixi, audite quæso principes Iacob, & gubernatores domus Israël: ánnō vestrum est scire iudicium? at qui oderunt bonum & diligunt malum, rapiunt pellem ab ipsis, & carnem ab ossibus eorum, &c.

40. Sic in nono præcepto mortificare vult in nobis libidinem dicendi falsum testimonium, & inscribere cordibus hanc Legem Exod. 22. ver. 16. non loqueris aduersus proximum tuum testimonium mendacij, & quæ extat cap. 23: Non assumes rumorem falsum mendacij, ne ponas manum tuam cum impio, vt sit testis mendax: non eris post multos ad malum, neque spondebis in causa vt declines post multos ad peruersum iudicium. Item cap. 24. versu secundo: Non eris post multos ad mala, neque respondebis in causa, vt declines post multos ad peruer-

ten

tendum. Huc pertinet etiam illud Leuit. 19. versu decimo octauo. Non incedes obtrectator in populis tuis.

41. In decimo præcepto mortificare in nobis vult omnes motus aduersus vllum Dei præceptum, vtpote ne cor titilletur vlla cupiditate confingendi alium Christum, aut vlla deuotione erga falsum Christum Matth. 24. aut libidine Deum aliter colendi quàm ipse præcepit Deut. 13. aut expetendi bona proximi, etiamsi non fuerit deliberata voluntas: denique tenebras omnes in mente, prauitatem, voluntate & in affectibus, (Ioan. 3.) etiamsi in oculis nostris leuia videantur, damnat Spiritus Sanctus: ideoque mortificare vult & mentes indies illuminare, & corda reformare ad veram rectitudinem Gal. 5.

42. Postremò summam Legis proponendo, in eaque perfectam dilectionem Dei propter se & proximi propter Deum, vult in nobis condemnare, quicquid cum illa puritate pugnat, vt in expiatione per Christum facta totos nos retineat: deinde vt malum illud mortificet, atque nos indies instauret, donec omni corruptione liberatos conformes reddiderit imagini Filij Dei. Ideo Dauid Psalm. 19. postquam sanctitatem & puritatem Legis prædicasset, summa eius puritate & collatione sui cum Lege permotus exclamat, Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me Domine.

43. Ergo cùm Spiritus Sāctus persona distincta à Patre & Filio qui in possessionem

fœderis nos inducit verus ſit Deus eiuſdem cum Patre & Filio eſſentiæ, fido ipſi (per ipſiuſmet gratiam) eum omnia fideliter in me affecturum, tum quorum gratia à Patre & Filio mittitur, tum quæ ipſemet in verbo ſe effecturum promiſit, quod nimirum peccatorum noſtrorum nolit memor eſſe amplius, & Legem ſuam inſcripturus ſit cordibus. Vtramque enim hanc fœderis partem Spiritum Sanctum teſtificatum eſſe ac promiſiſſe aſſerit Paulus Hebr.10.v.15.16.17: Et Dominus apud Ieremiam, dum totum fœdus ſuum ſe nobis communicaturum affirmat, hoc velut communicationis fundamentum ponit, Dabo, inquit, Spiritum meum in medio eorum. Vide cap.31.& 32. Et Ezech.36.

44. Quemadmodũ autem officium Spiritus Sancti eſt ſanctificare, & plenitudine donorum ſuorum implere, non autem abolere, corpus & animam Filii Dei, in quo fœdus fuit datum eſt Ioan.1: Huic datus eſt Spiritus abſque menſura: ita etiam officium eius eſt, nos vnire Chriſto (quod ſcriptura vocat ædificare nos ſuper Chriſtũ Epheſ.2.v.20.21.22. paſcere & potare nos Chriſto 1. Cor.12.ve.11.13.) vt ex plenitudine eius omnes accipiamus Ioann.1. v.16. Et 1.Ioann.3.v.24. Ex hoc cognoſcimus quòd manet in nobis, ex Spiritu, quem dedit nobis. Item Ieſai.11. Ita enim immutabiliter conſtituit diuina ſapientia, vt ſemen Abrahæ ſit organum intermediũ in cuius manu Deus nobiſcum paciſcitur, vt nullus promiſſæ benedictionis ſeu fœderis gratuiti ſit particeps niſi

nisi per Spiritū huic carni seu semini Abrahæ inseratur Gal.3.v.16.26.28.29.2.Cor.1.v.20.

45. Qui Spiritus Sanctus cùm à Patre & Filio personaliter sit distinctus, quia à Patre & Filio procedit Ioan.14.vers.15. Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Et cap.15.vers. 26. Cùm venerit consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre Spiritus ille veritatis, qui à Patre procedit, ille testificabitur de me: perspicuum est id quod scribitur Ioan. 3.v.34, Non enim ad mensuram dat (ei) Deus Spiritum: non esse accipiendum de donatione vnionis personalis, atque ita nec de transfusione proprietatum τοῦ λόγου ex vnione personali τοῦ λόγου cum humana natura: alioqui λόγος & Spiritus Sanctus vna essent persona & sic alterutra persona aboleretur.

46. Officium etiam Spiritus Sācti, ac velut propria nota, qua possit dignosci est testari de Christo quòd venerit in carne. Quomodo igitur ipsimet Spiritus carnem eiusque proprietates aboleret: quod fieret si Spiritus proprietates diuinæ naturæ in carnem transfunderet. Ideo 1.Ioann.quarto vers.1.2.3. Dilecti ne omni Spiritui credatis, sed probate Spiritus an ex Deo sint: quia multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscite Spiritum Dei: omnis Spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, & omnis Spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex

Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quòd venturus ſit, & nunc iam eſt in mundo. Quid autem Ioannes vocet in carne veniſſe oſtendit cap. primo eiuſdem epiſtolæ verſ. primo, ſecundo, tertio. Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus, & manus noſtræ contrectarunt de ſermone vitæ &c. id annunciamus vobis.

47. Spiritum verò illum veritatis mundus non poteſt recipere (id eſt ij, qui non ſunt Chriſto à Patre dati Ioan. 17. v. 9. 14. 20.) teſtante id Chriſto Ioann. 14. verſ. 17: Spiritum illum veritatis dabit Pater in nomine meo, quem mundus non poteſt recipere, quia non videt eum nec nouit eum: vos autem cognoſcitis eũ quia apud vos manet, & in vobis erit. Ideo in ſymbolo ſequitur, Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam.

48. Et quamuis Deus Spiritus ſit, vt Chriſtus ait Ioann. 4: Deus eſt Spiritus, tamen peculiari quadam ratione tertia perſona Trinitatis à Patre & Filio procedens Spiritus Sanctus vocatur, quòd per eum omnes electi, hoc eſt totum corpus Chriſti myſticum in communionem Filij & Patris tanquam per communem Spiritum inducatur, ac per eundem inſpiretur ſeu viuificetur ac ſanctificetur 1. Corinth. duodecimo: Dona varia ſunt: vnus autem & idem eſt Spiritus qui diſtribuit cuique pro vt vult. Item per eundem Spiritum omnes in idem corpus baptizati ſumus, & in eundem

eundem Spiritum potati. Et cùm Prophetæ minantur abdicationem seu reiectionem à Deo, aiunt, in numero ciuium Ierusalem, super quos effunditur Spiritus gratiæ & precum, non esse scribendos: ideoque etiam ad Ecclesiam Catholicam additur, Communio Sanctorum, prout in sequente articulo declarabitur.



ARTICVLVS IX.

Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

1. ADHVC de substantia fœderis dictum est: sequitur in articulo nono, quibus totam illam fœderis gratuiti substantiam Spiritus Sanctus communicet, nempe Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, hoc est vniuersali. Ac primùm quidem cùm omnes naturales Adæ hæredes in peccatis sint concepti, rei defectionis ac corrupti, mortui in peccatis, nullam habentes bonam cogitationem à semetipsis 2. Corinth. tertio v. 4. habentes corda lapidea Ezech. 36: certum est fœdus non iniri nobiscum vlla stipulatione, aut promissione nostrarum virium, sed totam substantiam fœderis esse merum & gratuitũ donũ Dei, cui omnes debitores sumus, ipse autẽ nulli est debitor. Ergo aut oportet

omnem supra positam substantiam perire sine fructu, (quod fieret si vllam bonam cogitationem à nobis stipularetur) aut oportet eũ sibimet causam esse, & è gratuito bonitatis suæ fonte eligere, quibus substantiam illam fœderis, quantumuis indignis, donare gratuitò velit, atque ita fidem quoque ipsam qua eam amplectantur: nam & ipsa fides promittitur in nouo fœdere, cùm inquit, Dabo cognitionem mei in medio ipsorum. Ier.31. Itaque quamuis maior pars mundi substantiam fœderis incredulitate & propria malitia reiiciat, credimus tamen sanctam Ecclesiam vniuersalem, ij sunt quos Deus è mundo elegit, & quos ipse sanctificat vocando eos efficaciter 1.Pet.2.v.9. Vos autem genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus vt proprium vendicat, vt virtutes prædicetis illius, qui vos vocauit è tenebris in admirabilem suam lucem. Obseruandum in uocatione terminum à quo esse è tenebris, terminum autem ad quem esse lucẽ per Euangelium, quò fidem in Christo creat: Et vocare è tenebris ἐκκαλεῖν, vnde ἐκκλησία dicitur quasi euocatio vel populus euocatus è tenebris in lucem, & vocatione illa productus seu creatus 2.Corinth.4.vers.6. Quamuis igitur omnes naturales Adæ hæredes perditi sint & mortui in peccatis, qui nullũ habeant boni desiderium: tamen ex vniuersa illa perditorum multitudine credo Deum decreuisse eligere & vocare Ecclesiam cui ipse gratis do-

tis donet fidem, & per fidem totam ſupra di-ctam fœderis ſubſtantiam gratis communi-cet & conſeruet, vt in hac & æterna vita pro tanta bonitate celebretur. Teſtimonia ſcri-pturæ de hac re ſunt plus quàm manifeſta, & ipſa etiam experientia. Neque enim, te-ſte ſcriptura, omnes homines ſunt electi: ſic nec omnes ſunt ſancta Eccleſia Actor.13.verſ. 48: Gentes hæc audientes gauiſæ ſunt, & glorificabant ſermonem Domini, & credi-derunt quotquot erant ordinati ad vitam æ-ternam. Et verſ.52. Nec omnes qui ſunt iudicio hominum in Eccleſia, ſunt vera eius membra: quia non omnes ſanctificati ſeu fide donati. Pauca teſtimonia è multis ad-feramus.1.Ioan.ſecundo.E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed, hoc factum eſt, vt pateſieret non omnes eſſe ex nobis. Etſi igitur hypocritæ iudi-cio hominum videantur eſſe membra Ec-cleſiæ, tamen iudicio Dei non ſunt mem-bra, nec ad Eccleſiam ſanctam vniuerſa-lem verè pertinent: nec vult Deus vt con-tra hunc articulum ſymboli credamus hy-pocritas aut manifeſtè idola & profanatio-nem cultus Dei defendentes, eſſe membra ſanctæ Eccleſiæ vniuerſalis. Ideò Chriſtus ad Phariſæos dicebat, Vos ex Patre Diabolo e-ſtis. Hi iudicio hominum erãt membra ſanctę Eccleſiæ vniuerſalis, & tamen Chriſti iudicio non erant eius membra: quia per fidem non erant ſanctificati, ſed referebant adhuc Dia-

boli ingenium, qua de causa eum Patrem ipsorum nominat. Item Ioann.10.v.26. Vos non creditis: non enim estis ex ouibus meis, sicut dixi vobis. Neque verò ideo excusati sint reprobi. Præterquam enim quòd Deus nemini debitor est, sponte sunt contumaces, & vltrò non coacti, oblatam gratiam repellunt: sicut Paulus & Barnabas paulò antè iis dixerant vers. 46. vobis necesse fuit primùm exponi sermonem Dei: postquam autem repellitis illum, & indignos vos ipsos iudicatis vita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Credo itaque eos qui fide in veritatem Dei donantur, iudicio Dei vera membra esse sanctæ Ecclesiæ vniuersalis, quodcunque de iis sit hominum iudicium Actor. 26. vers. 18.20. Matth. quinto, vers. 11.12: Contrà verò eos qui vera fide non sanctificantur, quicquid etiam homines de iis iudicent, tamen iudicio Dei secundum symbolum etiam Apostolicum sanctæ Ecclesiæ membra non esse: imò quod ita altum est coram hominibus, abominationem esse coram Deo Luc. 16. v. 15. hoc est, quò maiorem Ecclesiæ & successionum titulos seu sanctitatis laruam obtendunt (quod Christus vocat iustificare se corā hominibus) eò maiorem esse abominationem coram Deo, quòd ad impietatem internam accedit etiam falsa diuini testimonij vsurpatio Ier. 7. Non enim quia titulum Ecclesiæ cætus aliquis gerit ideo sanctus est, sed quia fide in veritatem verbi diuini sanctificatus est, ideo Ecclesia est.

2. Dicam

2. Dicam paulò plenius quò res tota ſit planior: Si ſubſtantia fœderis cõmunicatur iis qui è ſuis viribus aliquid conferre poſſunt, vel cogitationem bonam, nemini prorſus cõmunicabitur. Ideo ſequitur, Credo ſanctam Eccleſiam vniuerſalem: quòd vniuerſos quos ab initio donauit ſancta fide, ſine qua nemo vnquam verum membrum Filij Dei fuit (ideoque nec Eccleſiæ ſeu populi Dei) ideo donauit, quia eos gratis immutabili decreto prius elegit, & dedit Filio ſuo Ieſu Chriſto, Ioan. 17. Cùm igitur me quoque ſanctiſſima fide donârit, credo me etiam gratis eſſe electum, & Filio ſuo donatum, ideoque perire non poſſe. Per Euangelium enim electionis ſuæ immutabile decretum exequitur, dum per illius prædicationem ſeu miniſterium tanquam per inſtrumentum dat Spiritum Sanctum, qui fidem efficit quando & in quibus vult, hoc eſt, in omnibus & ſolis electis (nam ideo in his vult, quia hos elegit: in aliis autem non vult, quia eos non elegit) quo tempore ipſi viſum eſt.

3. Communicatur autem ſubſtãtia fœderis tota omnibus per vniuerſum orbẽ electis: nõ quòd aliis ſint meliores naturâ, ſed cùm in pari eſſent damnatione, Deus gratis eos decreuerit eligere in Filio, gratis deinde vocare, creando in iis fidem, vocatos gratis iuſtificare, iuſtificatos gratis glorificare, Roman. octauo. idque vt pro ſumma miſericordia temperata ſummo iuſtitiæ rigore in Filio, ab iis celebretur in hac & æterna vi-

ta ad Ephes. 1. Ergo cùm credo sanctam Ecclesiam vniuersalem, credo Deum non aliam habuisse causam cur nos fide donaret, & per fidem vniuersam fœderis substantiam vnà donaret, quàm gratuitam suam bonitatem, qua nos quantumuis indignos & perditos in Christo elegit: non inuenisse causam in nobis, quæ nos ab aliis perditis discerneret, sed sibi ipsi fuisse caussam, & in Filio destinasse etiam media exequendi sui decreti; neque in futurum boni aliquid prospexisse, quod ipse non prius inderet seu in nos collocaret deriuaretque è gratuito electionis suæ fonte, ad Ephes.2.v.1.2.3. Psal.110.v.3.

4. Deinde credo eos qui sancta fide donati sunt, per sanctam vocationem efficacem habere communionem cum Patre, cũ Filio eius Iesu Christo, & cum Spiritu Sancto omni nimirũ substantia illa fœderis gratuiti, quæ antè est exposita. Et cùm habeát communionem cum Patrę, Filio, & Spiritu Sancto, fruentur etiam illius cõmunionis reliquis effectis, quæ in articulis sequentibus ponuntur (& vt hypocritę & contẽtores illis effectis non fruentur, ita nec cõmunionem cum Patre, Filio & Spiritu Sancto habent, vnde effecta illa necessariò oriuntur) nempe remissione peccatorum æterna, & tandem plena instauratione in resurrectione carnis ad vitam æternã. De his Christus Matth.11.v.25. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & dete-

xeris ea

xeris ea paruulis. Etiam Pater, quia ita placuit tibi. Omnia mihi tradita sunt à Patre: & nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quisquam nouit, nisi Filius & cuicunq; Filius voluerit reuelare.

5. Neque miremur electos solos eosque omnes, nempe qui fide donātur, communionem habere cum supra dicta fœderis substantia. Nam pro Ecclesia vniuersali, siue omnibus per vniuersum orbem electis, iisque solis se tradidit Christus. Nam pro iis solis orat seu intercedit, eosque solos sanctificat Ioann. 17: Non oro pro mundo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et pro iis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non tantùm autem pro istis rogo, sed & pro iis qui per sermonem eorum credituri sint in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, hoc est, indissolubili nexu nobis coniuncti. Ioan. 10. Ego vitam meam do pro ouibus meis: Et paulò pòst ad Pharisæos: vos non creditis: non enim estis ex ouibus meis. Item habeo adhuc alias oues; & eas oportet me adducere.

6. Ideoque omnes & soli electi per vniuersum orbem inde ab initio habuerunt, & etiámnum habēt eandem communionē cum Patre, Filio & Spiritu Sancto, qualis in symbolo est promissa, & per partes declarata, cum plenis eius effectis quæ sequentur: licet in externis testimoniis fuerit diuersitas, & in claritate reuelationis, atque copia Spiritus: prout

in functionibus membrorum humani corporis diuersitas est, quæ consensum communionis non modò non impedit, sed etiam adiunat 1. Cor.12. Rom.4.v.23.24.25.1. Cor.10.v.1. 2.3.4.9. Ioann.11. vt non tantùm pro ea gente moreretur, sed Filios Dei cogeret in vnum. Sic Ephes.2. vers.19. Quoniam vtrique per ipsum habemus aditum per vnum Spiritum ad Patrem: nempe igitur non ampliùs estis hospites & inquilini, sed conciues sanctorum & domestici Dei superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, cuius imus angularis lapis est Christus Iesus, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit templum sanctum Domino in quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum.

7. Et vna est nota sanctæ Ecclesiæ, vniuersalis nempe veritas verbi diuini fide eam confitente recepta: quia per eam solam in Christo sanctificatur, & per solam fidem in veritatis verbum capiti Christo indissolubili nexu vnitur, vt verba Christi Ioann. 17. antè citata testatur. Denique fide constat matrimonium inter sponsum Christum & sponsam Ose. 2. Psalm. 45. Atqui fides sola veritate verbi Dei nititur Rom. 1. versu primo, secundo. Tit. 2. versu secundo. Ioann. 5. vers. 39. 2. Pet. 1. 1. Cor. 15. Ergo verè fideles sunt qui agnoscũt & amplectuntur veritatem verbi scripti, ac proinde illorum congregatio vera est Ecclesia: Et qui eam notam veri-

tatis

tatis diuinæ habent, vera sunt membra sanctæ Ecclesiæ vniuersalis ipsius Christi iudicio: qui verò illam notam animis impressam non habent, etsi eam habentibus se adiungant, & iudicio hominum inter membra censeantur, tamen iudicio Christi membra non sunt; Quin disertè ab oratione seu intercessione sua eos excludit, ideoque & à sacrificio propitiatorio; quia pro quibus Filius Dei non orat, pro iis etiam non sacrificat. Quomodo igitur essent sancti, cùm à fonte sanctitatis intercessione nempe & sacrificio Filii ipsa Christi oratione ad Patrem habita & exaudita disertè excludantur. Sic & de intermedia sanctificationis causa habendum. Sanctifica eos, inquit Christus, per veritatem tuam, sermo tuus est veritas, qua qui non sanctificantur vera certè sanctæ vniuersalis Ecclesiæ membra non sunt, vtut veris membris sese admisceant, quorum semper aliqua ibi sunt, vbi Deus veritatis suæ verbum seu fœderis æterni deposuit. Zach. 13. versu primo. 1. Timoth. 3. vers. 15. Zachar. 14. vers. 18. Ideoque hi electi quærendi sunt in sanctorum societate & communione, seu in illa fidelium confœderatione, quæ fit testimonio veritatis gratuiti fœderis eiusque sigillorum, quibus Deus coniunctionem suam cum electis testatur, in iis fidem creat & confirmat: & vt inter se quoque sub vno

capite Christo coalescant efficit, in omniumque ædificationẽ cedat quicquid in vnum donorum confertur 1.Cor.12.

8. Tantum verò abest vt ex eo quod testatur electis quos fide donat quicquam inde substantiæ fœderis eiusque fructum percipiant reprobi, quod ad communem participationem testimoniorum se ingerunt, vt in cœtu fidelium palàm eos attestetur Deus, hoc ipso gratia fœderis esse indignos, quòd oblatam intus respuant, nec tamen respuere se simulata testimoniorum vsurpatione Deo & hominibus mentiantur: ideoque se eos pro membris Sanctæ Ecclesiæ vniuersalis non agnoscere: nec sanctificari à testimoniis fœderis, sed suo cõtactu testimonia polluere Hagg. 2. Et sanè dum Deus per Euangelium & sigilla testatur se credentium esse Patrem, eo ipso infideles attestatur se eos auersari, se nihil cũ illis habere commune, esse sibi exosos. Ioann. 3. Qui non credit, ira Dei manet super eum. Cùm enim in arbitrio Ecclesiæ non sit eos à testimoniis fœderis arcere, qui fidem & resipiscentiam profitentur, ad communem eorũ vsurpationem eos admittere cogitur: sed ita vt iis non sanctificentur, verùm ipsi contactu suo ea polluant, grauiusque iudicium sibi accersant, quod tandem Dominus exequetur: non autem per externam testimoniorũ vsurpationem, sine fide vnius illius sanctæ Ecclesiæ membra fiant, quæ per Christum condemnationis iudicio exempta sistetur coram eo gloriosa. Quod etsi piis durum est, ferenda

tamen

tamen ęquo animo quam imposuit Deus con ditio. Sic accipiendæ parabolæ de sagena, de agro, de decem virginibus, nempe de externa vsurpatione testimoniorum absque communione, absque substantia fœderis eiusque effectis, vt antè demonstratum est, quòd iudicio Dei membra Ecclesiæ non sint, qui iudicio hominum Ecclesiæ membra censentur patefaciendi tandem iudicio diuino, quòd Dei & hominum iudicium fallere frustrà conati sint: quod etiam docet parabola de palmitibus infrugiferis Ioann.15.

9. Hæc congregatio fidelium nec tota nec semper in hoc mundo fit conspicua, & tamen propterea non desinit esse: impossibile enim est vt excidat Dei decretum, & vt mors Christi sit infrugifera, denique vt Deus sit sine templo in hoc mundo, 1. Timoth.3.ver.15. Iesai.2.v.3. Ideo non quidem semper videnda, sed tamen semper credenda proponitur: vt tempore Eliæ nulla penè videbatur Ecclesia, ita vt Elias diceret: Ego relictus sum solus. Sed oraculum ei respondit non penitus videndam, sed tamen credendã esse sanctam Ecclesiam vniuersalem, inquiens: Reliqui mihi septem millia hominũ qui non flexerunt genua Baal. Quod dixi totam in hoc mundo oculis corporeis conspici non posse, certum est. Cõprehẽdit enim omnes electos, qui in hoc mũdo non nisi in extremo iudicio collecti videbuntur. Deinde etiam inter eius partes (quæ sunt particulares Ecclesiæ illius vniuersalis membra) non semper in hoc mundo vbiuis

sunt conspicua, etsi in squalore iaceant: vt in responso ad Eliam videre est.

10. Cùm autem Deus cœtum aliquem sanctæ Ecclesiæ vniuersalis membrum nobis videndum præbet, ostensa nota illa veritatis doctrinæ propheticæ & Apostolicæ (sub qua comprehenditur sacramẽtorum legitima administratio, & ad omnem pietatem institutio Matth.28.v.20.) debemus nos ei cœtui adiungere. Vt enim ipse Pater noster est, ita placet ei Ecclesiam esse matrem Iesai 54. vers.1.2. Gal.4.v.27. 28.31: in qua & nascamur & educemur vsque ad finem vitæ nostræ. Placet enim Deo per ministerium Ecclesiæ Spiritu suo nos viuificare, & peccatorum remissionẽ cordibus obsignare, ac in eadem nos indies reformare ad sui imaginem. Contrà qui huiusmodi cœtum contemnunt, habentem notam Sanctæ Ecclesiæ, veritatem nempe doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ (quod fit dum quis sanæ doctrinæ & precibus non communicat, & dum per visibilia fœderis testimonia Baptismum & sacram Eucharistiam se communioni sanctorum non adiungit) salutis suæ certus esse non potest: & qui in illo contentu perseuerat, electus non est Actor.2. v.47. Quod postea vbi te testimoniis agetur, quibus Deus fœdus suum administrat, fusiùs declarabitur.

11. Qui verò seiungit se à cœtu in quo sonat falsa doctrina pugnans cum fundamento & substantia fœderis, is Christi mandato ob-

abstinuerunt: Exite è Babylone populus meus. Item, fugite idola. Item, Cauete à Pseudoprophetis. Item 2. epist. Iohan. Qui manet in doctrina Christi hic Patrem & Filium habet: sed deinde subiungit: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum in domum, ne aue ei dicite. Item oues meæ vocem alieni non audiunt: sed ita, vt audiunt vocem pastoris per veritatis ministros. Oues, inquit, meæ vocem meam audiunt. Et alibi: Qui vos audit me audit. Ideo sequitur de remissione peccatorum, quòd ea à doctrina veritatis non sit separata, quæ vnica & sola nota est Ecclesiæ Catholicæ: cuius omnibus & singulis membris peccata sunt remissa, & etiamnum iis qui carne adhuc sunt circumdanti remittuntur Zachar. 13. vers. 1. 2. 3.

12. Discrimen autem statuendum esse inter mores corruptos & doctrinam facilè ex eo apparet, quòd Prophetæ non desierunt communicare cum Ecclesia in publico cultu, licet in mores acriter inueherentur. Tum etiam in ipsa doctrina discrimen constituendum inter leuiores errores, & eos qui labefactant fundamentum: quod vel inde perspicitur, cùm plerique ceremonias sinistrè interpretarentur, vt satisfactiones, reprehensi quidem errores assertaque veritas à Prophetis Psalmo. 50. Iesai 1: Non tamen ideo secessionem fecerunt. At nullos

legimus ex Prophetis iuisse sacrificatũ in Bethel postquàm ibi erecti fuerũt vituli, vtpote quòd non possent se iis adiungere, nisi à Deo vero secessionem facerent.

13. Cùm enim aut vnio cũ Christo eiusq; veritate aut vnio cum hominibus dissoluẽda, semper hoc principiũ pręponderabit Rom.3. Sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Neq; enim veritatis (præsertim quod ad fundamentum salutis attinet) atque ita Christi præiudicio honor Ecclesiæ asserendus est. Nõ enim Christus est propter Ecclesiam, etsi non sit sine Ecclesia: Ecclesia autem à Christo est, per Christum & propter Christum: & sic Ecclesia est sponsa, vt maneat etiam ancilla Domini sui Psal.45. Sic talenta Domini sui habet concredita vt non sua, sed Domini voluntate administrentur. Neque veritatem suam hominum iudicio subiicit, vt eorum iudicio stet aut cadat, quod sine contumelia maiestatis diuinæ dici non potest. Cùm enim Ecclesia per prædicationem veritatis Euãgelij vi Spiritus vocetur è cœcorum ac mortuorũ turba Ioan. 5. Actor.26. Iesai.61: veritatem Dei antè constare necesse est quàm Ecclesia esse incipiat, quę verbo Dei per Spiritum Sanctum illuminata lucem veritatis in verbo radiantem, non potest nõ adorare & aliis approbare. Neque enim minorem veritatis suæ demonstrationem verbum Dei habet coniunctum quàm sol sui splendoris, qui tamen non nisi ab iis qui visu donati sunt agnoscitur. Quæ res manifesta est ex 2. cap. Act. 2. Cor. 4. ver. 3. 4. 6. Si

Euan-

Euangelium nostrũ tectum est in iis qui pereunt tectũ est. Ideo etiam Prophetica & Apostolica doctrina Christum in se ceu lapidẽ angularẽ continens confertur fundamẽto, Ecclesia superstructa ædificio, propterea quòd antequam hęc esse incipiat illi suam authoritatem (Dei inquam loquentis authoritatem) constare oporteat, & neutiquã precariam authoritatem ab hominibus mutuari. Ephes.2. v.19.20.21.22. In summa constat verbo Dei sua veritas in semet ex luce ei adiuncta, in nobis ex Spiritus etiã illuminatione, qua dat vt lucẽ illã veritatis videamus, & in eo acquiescamus.

14. Prout autem Ecclesia nõ aliunde quàm ex prædicatione verbi illius scripti vi Spiritus nascitur, nec alio lacte ciboq; nutitur, nec aliam desponsationis suæ gemmam vnde cognoscatur in annulo suo coniugali gestat, quàm hoc ipsum verbum scriptum, ad quod cum suscepto Baptismo sese obstrinxit: ita ad finem vsque mũdi luce qua donata est, & virtute obligationis quæ est inter ipsam & Deũ contracta, agnoscet solum eius verbum, Propheticum nempe & Apostolicum, & quidem scriptum pro regula fidei & vitæ, cui soli obstringatur conscientia Mat.28.v.19.20. Ephes. 2.28. Ies.30.v.21. Gal.1.v.6.7.8. Et 5.v.1.1. Cor. 7.vers.23. Deut.12.v.32. Coloss.2.v.20.3. Reg. 13.v.18.21.1.Pet.1.v.19. Contrà aliud quicquã admittere non sustinet siue scriptum siue dictum, siue factum pro regula fidei aut cultus, sed vt idolum execrabile pugnans cum annulo coniugali sacro Baptismo habente in se

gemmam verbi scripti, & ad id vnum sponsam obligante, prorsus abominatur. Quæ abominatio cùm summa futura sit postremis hisce seculis quæ in cœlum os positura prævidit Spiritus Sanctus, electos omnes vt ab ea sibi caueant diligenter præmonet per Ioãnem Euangelistam Apocal.13.v.14.15.16.17.& 14.ver.14.v.9.11.12.13.

15. Quoniam autem Christus Ecclesiam hanc vniuersalem à se gratis electam, & cùm in pari cum reprobis damnatione esset tanto precio acquisitam & arrhabone Spiritus sanctificationis donatam, quem ex certa nota verbi scripti vult cognosci, (cùm Spiritus sibi ipsi non sit dissimilis) vt populum acquisitionis, & vnicam sponsam possidet, & vicissim gratuito dono ab ipsa possidetur: ideo in symbolo additur non solùm extare Dei electione & vocatione Ecclesiam, sed & intercedere communionẽ inter ipsam & Christum: atque esse vnicam Christi sponsam. Communio autem hæc sanctorum est eiusmodi gratuita & mutua confœderatio omniũ sanctificatorum in fide cum Patre, Filio & Spiritu Sancto secundum totam fœderis substantiam supra positam, & effecta quę in symbolo sequentur, vt ipsi omnes & singuli à Deo vt populus acquisitus possideantur: ipseque se vicissim ipsis in Deum ab omnibus communiter possidendum donet, atque in capite Christo per gratiam & vinculum Spiritus Sancti cum iis indissolubili nexu se

vniat, quò ipſum cum omnibus cœleſtibus theſauris viciſſim poſsideant, & ad æternam Dei gloriam lætitiamque eo fruantur, communicante ſe iis vt membris inter ſe coaptatis per eundem Spiritum, vt fruitio tum ipſius capitis tum omnium inde manantium donorum pro menſura donationis Chriſti per mutuam ſubminiſtrationem in ipſius capitis & corporis ædificationem cedat Coloſſ.primo; verſu 17.18. Et ſecundo, verſu 19. Hoſ.ſecundo, verſu 19.20. Ezech.16. verſu 60.61.62. Ieſai.54. verſ.quinto, ſeptimo, octauo, nono. Quæ communio & vnio tanta eſt vt excepta vnione eſſentię in Deo & vnione perſonali duarum naturarum in Chriſto nulla hac ſit maior & firmior, qua fideles cōmunionem habēt cum Chriſto Immanuele, in quo Deū in æternum reconciliatum poſsident: in quo etiam Immanuele ceu fundamēto eſt ſumma Dei & hominis vnitio, ipſiuſq; Dei quoad eſſentiā, identitas ſeu vnitas: atque ita per vinculum Spiritus vnitio noſtri cum Chriſti carne ac per communem Spiritum in Chriſti carne noſtraque habitantem, eximia etiam per gratiam vnio exiſtit cum λόγῳ carni ipſius perſonaliter vnito: qui quoad eſſentiam cum Patre & Spiritu Sancto vnum eſt, omnis vnionis in Deum & homines Mediator atque caput. Quod ipſum paulò plenius ſic accipe. In Chriſto Immanuele ceu fundamento eſt ſumma Dei & noſtri vnitio. Quamobrem &

Immanuel, id eſt, nobiſcum Deus vocatur Ieſ. ſeptimo, ipſiuſque Dei quoad eſſentiam itenditas: à quo Deo vno eſſẽtia, & trino perſonis dum per gratiam & vinculum Spiritus Sancti cum maſſa illa vnimur, quam idem Spiritus in vnitatem perſonæ Filio vniuit, etiam cum ipſo λόγῳ indiſſolubiliter vnimur, indeque ad Patrem per Mediatorem attollimur: Quia quos Pater in Filios adoptat, in eorum corda immittit Spiritum Filij ſui clamantem Abba pater Galat. quarto, per quem fide & inuocatione adhæremus ei à quo eſt miſſus ita vt per communem Spiritum Patris & Filij primùm Filio incarnato, & per ipſum atque in ipſo Patri ſimus vniti, qui dum per Spiritum nos clamantes audit Abba Pater, quodammodo ſeipſum audit atque exaudit: nouit enim clamorem excitatum à ſuo Spiritu & mentem Spiritus Romanor. octauo. Et quia hæc vnio tanta eſt, vt poſt illas, quas dixi, nulla ſit maior, attollit nos Chriſtus ad conſiderationem vtriuſque illius ſummæ vnionis, non vt hanc cum illis confundat aut miſceat, ſed vt tanto fundamento eam inniti doceat, ideoque æternã ac indiſſolubilem eſſe, vtpote ipſius Chriſti interceſſione cum ſacrificio, in ſumma illa vnione quam ipſe cum genere humano habet & cum ipſo Patre (qua vtraque nulla cogitari poteſt maior) fundatam atque ſtabilitam. Sic enim orat Ioann. 17. Non tantùm pro iſtis rogo, ſed & pro iis qui per ſermonem

monem eorum credituri sunt, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Et paulò pòst, Ego in eis & tu in me, vt sint perfecti in vnum, & vt cognoscat mundus me à te missum esse, teque eos diligere sicut me dilexisti. In summa per gratiam & vinculum Spiritus Sancti summa est nostri cum Deo vnitio in Christo, quia per Christum electi omnes communiter cum Deo reconciliati eundem Spiritum ab eo hauserunt Iesai. duodecimo: quo vniuntur primùm cum ipsius carne quam per eundem Sanctificationis Spiritum assumsit: secundò & cum λόγῳ, quia à λόγῳ procedit: tertiò & simul cum Patre, quia non minus Patris Spiritus est quàm Filij, ita vt Pater Filium incarnatum non ampliùs seorsim, sed cum omnibus membris velit intueri prima Corinth. duodecimo, vers. duodecimo, 13. Matth. secundo, ver. quinto. Hos. 11. vers. primo.

16. Hæc autem vnio habet ex ordine seu dispensatione sapientiæ diuinæ sua initia & incrementa, atque ita suos velut gradus, quibus ad complementum deducatur. Galat. quarto, vers. 10. Ephes. secundo, ver. 21. 2. Cor. 10. vers. 15. 2. Pet. primo, vers. 19. Nam cùm fides virtute Spiritus Sancti sacræ huius vnionis sit vinculum prout ea crescit, crescit & vnio. Colos. primo, ver. 10. & secundo, vers. 19. Non quòd in Deo sit variatio, aut substantia fœderis in se crescat, aut minuatur: quod absit Actor. 15. vers. 11, sed ad fidei nostræ sen-

sum hoc referendum est. Etsi enim fides totum Christum gratuito Dei dono communiter cum omnibus fidelibus possidet ceu cõmunem fontem Iesai.12.Ioan.quarto: fruitur tamen eo in hac vita secundum donatam mẽsuram fidei, qua ex fonte illo tantum haurit, quantum Dominus nouit expedire, licet eum totum possideat Roman.duodecimo, v. 13. Sic Apostolo dictum est, sufficiat tibi gratia mea. Item 1.Corinth. 13. vers. nono, decimo, vndecimo. Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus &c. Nunc cognosco ex parte; tunc cognoscam prout cognitus sum. Gradus autem communionis non mutant quicquam de substantia fœderis, sed constituunt discrimen in qualitate seu claritate reuelationis à parte Dei, & vicissim cognitionis in nobis Matth. vndecimo, versu vndecimo. Deinde in quantitate seu copia Spiritus, quo ceu vinculo cũ Christo (in quo omnes promissiones sunt Etiam & Amen) in eoque cum substantia fœderis vnimur, Ioel. 2. Actor.2. Hoc discrimine graduũ obseruato habuerunt omnes fideles, quibus ab initio mundi facta est gratuita promissio de benedicto semine mulieris, & quibus deinde eadem fuit repetita sub forma fœderis gratuiti percussi cum Abrahamo Patre fidelium per fidem. & vinculum Spiritus Sancti eandem κοινωνίαν cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quam nos Exod.19.vers.sexto 1. Pet.secundo, versu nono. Ephes.secundo, vers. duodecimo, 13.18.19. Et cap.tertio, vers.15. Ioann.primo. vers.

versu quarto, duodecimo. Ioan. 5. vers. 23. Psal. 2: Osculamini Filium &c. Ideo in semetipsis perditi reconciliationem quærebant in eodem Mediatore, quo nos prout in omnibus sacrificiis in ipsius sacrificium respiciebant Iesai. 53. Psal. 110. Roman. 10. ver. quarto, eiusque regiis auspiciis se regi credebant 1. Sam. secũdo, v. 10. Psal. 28. v. 8. Zach. 9. vers. 9. & per eundem eodem quo nos Spiritu adoptionis donabantur Gal. 4. v. 29. qui eandem iustitiam fidei in permissa Christi victima Daniel. 9. Roman. 4. vers. 11. 12. 16. eandemque regenerationem ex fide in ipsis operabatur, quam in nobis, eandemque spem & expectationem hæreditatis cœlestis ab eodem semine benedicto, in quo sicut & nos fide censebantur Roman. 9. vers. 7. 8. Deut. 30. v. 6. Coloss. 2. v. 11. Luc. 11. v. 67. 68. 69. Luc. 2. v. 25. 26.

17. Deinde omnes fideles sub nouo Testamento habent eundem Christũ sibi oblatũ in prædicatione Euangelij sacro Baptismo & sacra Eucharistia seruato etiam discrimine graduum, 1. in qualitate seu claritate reuelationis quæ angustior seu illustrior est in visibilibus sigillis & verbo coniunctim quàm verbo solo Actor. secundo, vers. 37. 38. Ezech. 20. versu duodecimo. 2. in quantitate operationis Spiritus, qui vt testimonio Baptismi insitionem nostri in Christum confirmat, vt ei insiti certi simus gratuitæ nostræ adoptionis, atque ita imputatæ iustitiæ & incoatæ regenerationis: ita &

vſu ſacræ Euchariſtiæ, & pro accepto regni Dei initio per gratuitam adoptionem Baptiſmo obſignatam à nobis celebratur, & nos fide confirmata in familia Dei nutrimur, dum augmentum κοινωνίας cum victima Chriſti ſecundum ipſius promiſſionem, quæ fallere non poteſt, nobis donatur, ſeu per eundem Spiritum, quo ſemel fuimus Chriſto inſiti cũ eodem pro nobis mortuo atque excitato, atque in eo cum tota ſubſtantia fœderis magis magiſque vnimur, eoque pro augmento fidei quã Deus hac ipſa actione confirmat pleniùs fruimur 1.Cor.12.v.13. nulla interim ſubſtantiæ ipſius in ſymbolo poſitę facta mutatione.

18. Quid enim abſurdius quàm vnionem cum ſubſtantia fœderis, ipſam fœderis eſſentiam aut eſſentialem formam abolere? vnionem noſtri cum Chriſto ipſius Chriſti perſonam (falſam eius loco ſubſtituendo) aut alteram naturam aut æternum denique eius officium, prout in ſymbolo eſt expoſitum, debere euertere? Quæ niſi conſiſtant, communio vnioque conſiſtere non poteſt: quomodo igitur horum euerſione, confuſione, aut commixtione ſtabilietur? Nam ſi in ipſo fundamẽto & perſonas in trinitate & naturas in perſona Chriſti nefas eſt confundi & permiſceri inter ſe, nefas eſt etiam multò magis permiſceri nobiſcum. Primùm enim ſi permixtio aut cõfuſio perſonarum in trinitate, quãuis ſumma in iis ſit eſſentiæ itenditas, fundamentum tamen fœderis euerteret, multò magis

magis confusio personæ λόγου incarnati visibilis, palpabilis 1. Ioan. 1. 2. 3. cum fictitia persona Filij incarnati, inuisibilis, impalpabilis, quasi illa persona eadem sit cum hac, hoc est, quasi Christus qui venit in carne idem sit cũ Christo, qui non venit in carne, fundamentũ totius fœderis euerteret? Si enim ne in trinitate quidem, in qua summa est itenditas essentiæ, verè dici potest vnam personam esse alteram: quomodo igitur hîc verè dicetur Filium incarnatum, visibilem, palpabilem, cum quo Ioannes affirmat nos communionem habere, vt gaudium nostrum sit plenum 1. Ioan. 1. eandem esse personam cum λόγῳ aliquo incarnato, inuisibili, impalpabili cum quo communionem, seu vnionem nos habere oporteat? Deinde si permixtio aut confusio naturarum inter se (in quibus tamen summa est puritas) etiam fundamentum fœderis euerteret, multò magis permixtio naturarum nobiscum. Si enim caro Christi cum natura diuina quæ immortalis est, fuisset permixta, quomodo mori potuisset? Etsi caro Christi quam nõ oportuit sentire corruptionem, cum nostra quæ in sepulchro corrumpitur, permisceretur, quomodo non corruptioni vnà subiiceretur? Ps. 16. Act. 2. v. 27. 29. Constituimus igitur vnionem seu communionem veram Christi pro nobis oblati & excitati donari omnibus fidelibus, sed citra confusionem vllam personæ Filij incarnati cùm alia quocunque colore pingatur, cùm ne in trinitate quidem eiusmodi confusio ad-

mittatur, & vna persona non sit altera. Deinde, & citra permixtionem vllam ipsius carnis cum nostra carne, aut diuinæ essentiæ (quę gloriam suam nō dat alteri) cum nostra essentia, vllámue aliam confusionem. Cùm enim vnio cū Christo, ita crescere debeat, vt ipsum augmentum ex fide confirmata oriatur, quid absurdius, quàm fidem substātiæ fœderis interitu confirmari instar viperini partus? aut fidem confirmatam, fœderis substantiā amittere? Quomodo igitur nō dicam confirmata erit, sed omnino subsistet? Vide 1. Cor. 3. v. 11. Luc 2. v. 40. Matt. 3. v. 16. 17. Marc. 9. v. 39. Matt. 20. v. 18. Ioann. 1. 33. 2. Cor. 10. v. 4. 2. epist. Ioá. v. 7. 8. Gal. 1. v. 6. 7. 8. Et fundamento euerso quomodo effectis quę in articulis aliis sequentur quis fruetur? Neque enim per cōmunionem cū fictitio Christo datur remissio peccatorum & resurrectio carnis ad vitā æternam, sed & peccata cummulantur fingendo alios Deos, & falsum cultum, & cum omnibus diligentibus mendacia, qui in eiusmodi delictis perseuerant, resurgent ad ignominiam sempiternam vt loquitur Daniel vlt. cap. Qui igitur communione cum ipsa fœderis substātia, & sequentibus effectis frui vult superiora fundamenta tueatur inconcussa. Stultum enim fuerit non tantùm læsa, sed euersa arboris radice sperare fructus. Ideo sequuntur veram communionem cum Christo fructus positi in articulo 10. 11. 12.



ARTICVLVS X.

Credo remissionem peccatorum.

1. CREDO in mente diuina peccata omnia mihi & toti Ecclesię catholicæ esse remissa secũdum promissionem fœderis: peccatorum eorum nõ memor ero amplius Ierem. 31. adeò vt cùm hæc sint remissa non opus sit ampliùs vlla oblatione pro peccato, ne ipsius quidem Filij Dei, vt sępiùs se se offerat Hebr. 10. v. 17. 18. 22.

Remittere est actio mentis siue animi, & quidem eius qui fuit offensus 2. Cor. 5. v. 18. 19. 20. Item Rom. 5. Ideo per Prophetam ait: Ego ego sũ qui deleo iniquitates tuas Israël propter me. Item Psal. 103. Item 51. Item. 133.

2. Cùm autem nemo norit quid sit in homine nisi Spiritus hominis: sic etiam ea quæ sũt Dei nemo norit nisi Spiritus Dei: ideo illa certitudo & obsignatio fit per Spiritum Sanctum, per quem dilectio Dei effusa est in corda nostra Rom. 5. qui misericordiam Patris efficaciter reuelat cordibus, & meritum Filij, quod meritum mens Patris acceptat, atque inde Spiritus Sanctus pacem conscientiis gignit 1. Corin. 2. vers. 11. 12. 13. 14: Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur etiã profunditates Dei. Quis enim hominum nouit ea quæ sũt

hominis, nisi Spiritus hominis qui in eo est: ita etiam quæ sunt Dei nemo nouit nisi Spiritus eius: Nos verò non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, vt sciamus quæ à Deo gratis data sint nobis. Item Coloss.2.vers.13.14,19.20. 21. 22. 23. Et cap.3. vers.15.

3. Fundamenta huius certitudinis, quibus mentem suam Pater, Filius & Spiritus Sanctus re ipsa erga Ecclesiam aperuit, sunt supra per singulos articulos fidei ordine exposita, nempe gratuita Dei misericordia, sponsio Filij, satisfactio per eius mortem, testimonium plenæ satisfactionis, & actualis absolutionis nostri refulgens in resurrectione & ascensione, continuatio imputatæ iustitiæ per ipsius intercessionem ad dexteram Patris, solennis declaratio per eos iudicis extremo die publicanda, conformis ei quæ iam publicatur ipsius nomine per Euãgelium, internum testimonium Spiritus Sancti, per quem insiti Christo communionem cum ipso, & omnibus eius bonis habemus, atque ita vnà cum inchoata sanctificatione plenam remissionem peccatorum in Christo & per Christum, vt nobis non magis quàm ipsi imputentur, in quo semel perfectè sunt expiata Hebr. 1.3. Rom.8. vers.1.2.3. & vers. 30.31.32.34.37.38. Tantis igitur fundamentis subnixa fides nostra meritò credit remissionem peccatorum, seu peccata credentibus iam esse in mente diuina remissa & condemnata. Hinc fit quòd Deus vt maritus Ecclesię sponsæ iurat: Nunquam

quam irascar tibi, nec increpabo te, Iesai. 54. cùm antea 53. c. fundamenta quæ diximus descripsisset. Et nisi omnia superiora fundaméta velimus euertere, quod non sine Dei contumelia fieret ne tantillum quidem nobis dubitandum, quin omnis peccatorum nostrorum memoria, qui gratuito eius dono in Christum credimus, sit & maneat in æternum deleta. Quò diligentius fontes illi puri conseruandi sunt: Nisi enim superiora fundamenta maneant salua velut causæ, hic effectus constare non potest. Inter omnia autem fundamenta mors Iehouę germinis Dauidis iusti est præcipua. Quid enim in cœlo & in terra maius cogitari potest, quàm quòd Deus ipse moritur, ipse, inquã, Iehoua in carne quã assumsit, ad mortem vsque crucis se demittit è summo maiestatis throno & gloria, vt summa hac inanitione & deiectione in mortem omnium cõtumeliosissimam superbum Adæ conatum & affectatam æqualitatẽ cum Deo, indeque manantia peccata reliqua expiaret, atque ita promissionem fœderis sui seu testamenti de remissione peccatorum confirmaret Hebr. 9. vbi testamentum est, inquit, mors testatoris intercedat necesse est. Postquam enim tantæ personæ mors interuenit, plenè & in æternum confirmata est illa promissio, nolle se memorem esse nostrorum peccatorum, confirmata, inquam, in ipsa mente diuina (sicut remissio fit mente diuina) dum mens diuina perfectè iusta, quæ non potest non memor esse peccatorum, perfectam expiationem

in morte Mediatoris cũ deprecatione accepit, in quam mens diuina in ęternũ acquiescit. Non enim est minus diuinæ iustitiæ proprium memoriam vindictæ deponere facta solutione, quàm memoriã eius retinere peccato nõdum expiato. Vnicam verò hanc perfectam & æternam confirmationem testamẽti in mente diuina per mortem Mediatoris nulla alia confirmatione indigentem reuelat nostrę conscientiæ Dominus per testimoniũ de Christo per Spiritum fidei qui conscientiam in hãc quietem Dei erga nos & nostri in Deo inducit: vt sicut promissio in mente Dei, cuius solius est remittere, rata est nec vllus ampliùs restat iustitiæ eius aut irę clamor seu increpatio contra nos: ita etiam facit in consciẽtia nostra, vt iustitiæ suæ legisque clamorẽ non sentiamus. Ideo 1. Cor. 11. in sacra Eucharistia quam lætis animis celebrari vult Spiritus Sanctus 1. Cor. 5. v. 8. Fideles mortem Domini annunciare iubet, mortem, inquam Iehouæ manifestati in carne, (rem omnium augustissimam, & lętitiæ plenissimam) vtpote qua omnis inimicitia est sublata Coloss. 2. donec veniat.

4. Remissio hæc peccatorũ comitatur fideles vsq; ad sepulchrum (sed in hũc scopũ, vt peccatis mortui iustitię viuant 1. Petr. 2. Luc. 1. v. 74. 75.) Quod manifestũ est cum ex fundamentis supra positis, tum ex eo vel inprimis quod morte Iehouę eius iustitiæ plenè est satisfactum. Quemadmodum enim impossibile erat vllũ peccatũ remitti ex diuina misericordia, nisi placata eius iustitia: ita vicissim postquam

quā eius iustitiæ est satisfactū, impossibile est cursum diuinæ misericordiæ, qua peccata remittit, interrūpi. Ideo Iesaias postquàm mortem Christi descripsit ca.53. addit 54. ca. In momēto iræ abscōdi faciē meam paulisper à te: at clemētia sempiterna misertus sum tui dicit redemtor tuus Iehoua. Quoniā sicut aquę Nohę hoc mihi. Quandoquidē iuraui nō fore vt amplius transeant aquę Nohæ super terrā: ita iuraui nō fore vt tibi irascar aut increpem te. Nā mōtes quidē mouebuntur & colles nutabūt, misericordia autē mea nō recedet à te, neque fœdus pacis meæ vacillabit, dicit miserator tuus Iehoua.

5. Eadem etiā est ratio doni perseuerantiæ in fide, sine qua remissio peccatorū perpetua esse non posset. Ideo ait v. 13. nā omnes filii tui docti à Iehoua, & pax multa filiis tuis. Atq; ita regenerationis donum (quod sub nomine sanctitatis Ecclesiæ continetur, & à remissione peccatorum diuelli nō debet) etiā perpetuum est (ita vt nunquam prorsus amittatur) ex superioribus fundamētis fœderis ęterni, Ierē. 32. v. 4. Percutiā cum eis fœdus perpetuū, nempe q̄ non discedam ab ipsis (en quod antè dixi cum peccatorū remissione comitari fideles ad finē vsq;, Malach. 3.) vt benefaciā ipsis, & timorem mei ponā in cordibus ipsorū, vt non recedant à me (en donum perseuerātiæ in fide, & regenerationis nunquā prorsus amittēdæ). Sic 1. Cor. 1. v. 8. 9. Deus, inquit, confirmabit vos ad finē vsq; inculpatos: fidelis Deus per quē vocati estis in communionē Filij ipsi⁹ Domini nostri Iesu Christi. Vide etiam 1. Ioan. 2. v. 19.



ARTICVLVS XI.

Credo resurrectionem carnis.

1. Dvobvs postremis articulis cõtinentur beneficia, quæ tota Ecclesia Catholica, seu cœtus omniũ à seculo electorum post hanc vitam accipiunt ex fundamentis supra positis toti Ecclesiæ electorum inde ab initio communibus, siue ex fœdere gratuito cum Patre, Filio & Spiritu Sancto. Vnde etiam Christus, ex fœdere nimirum, resurrectionem mortuorum probat Matth. 22. v.30.31.32: De resurrectione verò mortuorum an non legistis quòd vobis dictum est à Deo, Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, Iacobi. Deus non est Deus mortuorum, sed viuorum. Item Ephes.2.v.6. 1. Cor. 10.v.1.2.3.9.

2. Vndecimo itaque articulo continetur plena instauratio corporum seu regeneratio, qua idonei reddamur ad possidẽdã hęreditatẽ vitę ęternę, caro enim & sanguis regni Dei hęreditatẽ consequi non possunt (quãdiu nimirum corruptioni sunt obnoxia, vt docent sequentia) neque corruptio consequi potest incorruptæ naturæ hæreditatem 1. Cor.15.v.50. Quemadmodum igitur regenerationẽ in hac vita à Patre, Filio & Spiritu Sancto in animabus nostris inchoatam credimus & sentimus Rom.8.v.1. ita etiam eandem in die regenerationis perficiendã certò speramus corporibus etiam

etiam nostris ad immortalitatem, renouatis Rom.8.v.10.11.per & propter eum qui est primogenitus ex mortuis.

3. Vt autem corpora nostra simpliciter resurgant,non est opus,vt censeātur in semine Abrahæ (nam & impiorum corpora resurgent Dei iustitia id requirente) sed vt resurgant ad vitam æternam opus est vt censeantur in illo semine requirente id Dei æterna misericordia iurata illi semini. Etenim sicut perfecta Dei iustitia requirit, vt non tantùm animæ iniustorum post hanc vitam puniantur, sed etiam corpora ob peccata à toto homine contra Deum commissa: ita etiam quorum corpora à pœnis æternis debēt eximi, & econtrà hæreditatem & vitam cœlestem possidere,eos necesse est censeri in benedicto illo semine,per quod iustitiæ Dei est satisfactū, cuique cum omnibus qui in ipso censentur fidelibus,promissa est ęterna misericordia vitæque hęreditas Gal.3.v.13.16.Heb.13.v.14.17. 18. è quorum numero non tantùm corpora nostra sunt, sed etiam omnium qui inde ab Adamo in fide Christi obdormierunt, cui per Spiritum Sanctum fuerunt vniti, vt ex superioribus fundamentis est manifestum Ioan.8. v.52.56.Et Rom.8. Si Spititus eius qui excitauit Christum à mortuis habitat in nobis excitabit etiam mortalia corpora vestra propter ipsius Spiritum habitantem in vobis. Id quod Roman.quinto his exprimit verbis. Qui plenitudinem gratiæ acceperunt cum eo regna-

bunt in vita. Et sic de resurrectione mortuorum ad vitam æternam accipiendus est locus Pauli 1. Corinth. 15: sicut per vnum hominem mors, ita per vnum resurrectio mortuorum ad vitam æternam. Nam oportet nos in semine illo benedicto censeri perfecta Dei iustitia & iurata misericordia, adde etiam sapiētia & veritate diuina sic ordinante, vt humana Christi natura velut organum interueniat quò ad vitam æternam resurgamus, non autem humanæ naturæ virtute fieri oportet, vt resurgamus ad vitam, sed homo ille Christus nos viuificat, quatenus est Spiritus viuificus, vt in eodem cap. loquitur Apostolus, hoc est, quatenus humanæ huic naturæ, cui promissa est vitæ æternæ hæreditas, personaliter vnita est Deitas, quæ est Spiritus viuificus, cuiusque respectu Christus dicitur Dominus è cœlo, & vtriusque naturæ respectu caput fidelium. Neque nos sine interuentu Spiritus cũ ipso carne induto coalesceremus, quia ob veritatẽ promissionis oportebat nos censeri in vnico illo benedicto semine, quod sine Spiritu & fide fieri non poterat Galat. 3. Itaque etiam veteres, vt in vero Abrahæ semine censerentur, Spiritu Christi donari necesse fuit, quo & ipse Abraham per fidem donatus fuit, vt benedicti seminis membrum censeretur, in quo tam Abrahæ, quàm omnibus familiis terræ promissa erat benedictio, & vitæ æternæ hæreditas.

4. Tantum verò abest vt Ecclesia collecta ex gentibus post λόγον incarnatum antecellat

Israëliticam

Iſraëliticam veterem quoad reſurrectionem carnis & vitam æternam propter eam quam vocant maieſtatem carnis Chriſti, & quam inde deducunt reſurrectionis corporum cauſam, nempe, oralem manducationem corporis Chriſti (quæ veterem ſeu Iſraëliticam Eccleſiam à reſurrectione excludit) quaſi opus ſit veteres tranſire ad nos ad percipiendum ore Chriſtum, vt potiùs noſtra corpora ideò reſurgant ad hæreditatem & vitam æternam, quòd in fœdus cum ipſis pactum, ſimus aſſumti Matth. 22. ver. 32. 33. in eorumque oliuam per fidem & Spiritum inſiti Rom. 11. v. 17. 18. Nos enim non geſtamus radicem, ſed radix geſtat nos, & facti ſumus vnà participes pinguedinis oliuæ nos qui naturâ eramus oleaſtri. Sicut autem interuallum loci iam non impedit, quò minus gentes ſint concorpores Iſraëli fide & Spiritu carni Chriſti in cœlum exaltatæ inſiti: (nouit enim Spiritus Sāctus ea coniungere, quæ locorum ſitu ſunt diſſita) ita nec interuallum temporis, quòd Filius Dei nondū incarnatus, paſſus, exaltatus eſſet, Iſraëliticam Eccleſiam impediuit, quò minus, fide & Spiritu in ſemine promiſſo fuerint cenſiti eique fide coniuncti. Qui enim ex promiſsione ſunt, cenſentur in ſemine Rom. 11. Gal. 3. vlt. verſ. Ioann. 8. v. 52. 56. Ioan. 4. v. 23. 24. 25.



ARTICVLVS XII.

Et vitam æternam.

1. DVODECIMO articulo continetur ipsa æternæ vitæ hæreditas Abrahæ ipsiusque semini, qui est Christus cum omnibus suis membris, iuramento promissa Gal.3.v.16.&c. Abrahæ verò dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, Et seminibus, vt de multis: sed vt de vno. Et semini tuo qui est Christus. Hoc autem dico pactionem antè confirmatam à Deo respectu Christi, lex quæ post annos quadringentos triginta cœpit, nō facit irritam vt aboleat promissionem. Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione: Abrahæ verò per promissionem gratificatus est Deus hæreditatem. Sic Heb. sexto, vers. decimo, 13. Cupimus autem vt vnusquisque vestrûm id ostendat studium ad plenam spei persuasionem ad finem vsque vt non sitis segnes, sed imitatores eorum qui per fidem & patientiam obtinent promissam hæreditatem. Deus enim pollicitus Abrahæ cum non posset per quenquam maiorem iurare, iurauit per semetipsum dicens: certè benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te. Atque ita cùm patienter expectasset, assecutus est promissum. Nam homines quidem per eum iu-

iurant

iurant qui sit maior: atque iisdem omnis cõtrouersiæ finis est iusiurandum ad confirmationem adhibitum. Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem sui consilij, fide iussit iureiurando, vt per duas res immutabiles, in quibus impossibile est vt mentiatur Deus validam consolationem, habeamus nos qui cursum eò corripuimus, vt spem propositam obtineamus, quam velut animæ anchoram habemus tutam ac firmam & ingredientem vsque in ea quæ sunt intra velum, quò præcursor pro nobis ingressus est Iesus secundum ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum.

2. Tota igitur illa vita inclusa est in λόγῳ incarnato visibili & palpabili vestito fœdere gratuito: à quo λόγῳ incarnato cum disceditur, à tota vita æterna disceditur 1. Ioann. 4. v. 3: Hic est Spiritus Antichristi, qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne. Contrà manendo in eo, manetur in κοινωνίᾳ cum Patre & Filio eius Iesu Christo virtute Spiritus Sancti ad vitam æternam, de qua Ioann. 1. epistol. 1. cap: Quod erat in principio, quod audiuimus oculis nostris, quod spectauimus, quod manus nostræ contrectauerunt de sermone vitæ, nam vita patefacta est & vidimus & testamur & annunciamus vobis, vt & vos communionem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo. Et hæc scribimus vobis vt gaudium

vestrum sit plenum. Itaque expedita doctrina de substantia fœderis, sic nobis tractanda erit pars altera, ne cum Antichristo per testimonia ipsam substantiam fœderis, ipsum inquam Christum, qui in carne venit euertamus, quæ summa est Satanæ impostura: sed summam consensionem inter rem testatam, ipsam nimirum fœderis substantiam eiusque testimonia, quibus ea nobis offertur & obsignatur, ex verbo Dei ita demonstremus, vt distinctè testimoniis tribuamus quod testimoniorum est, & rei testatæ seu substantiæ fœderis, quod ipsius est.

DE TE-





DE TESTIMONIIS FOEDERIS GRATVITI,

PARS ALTERA.

1. ADHVC de tota substantia fœderis dictum est omnibus & solis electis, seu iis qui fide donantur, in hac & æterna vita communi. Nunc videndũ est de testimoniis: quibus Deus de hac ipsa substantia fœderis testatur, & testando fidẽ virtute Spiritus sui in electis generat atque indies cõfirmat Rom. 1. v. 12. 13. 17. qua totam fœderis substantiã amplectantur, eaque magis ac magis fruantur: reliquos autem attestatur, eos eo ipso hac gratia esse indignos, quòd in verbo oblatam contumaciter respuunt, aut amplecti se fingunt. Paulus vocat prædicationem Euangelij testimoniũ de Christo. Et de Ioanne Baptista scribitur, Ipse non erat lux, sed missus fuerat, vt testaretur de luce, Ioan. 1. Et Christus de Apostolis dicit, Eritis mihi testes à Samaria &c. Item Ioan. 17. Non tantùm pro his oro, sed pro omnibus, qui per verbum eorum credituri sunt in me. Et 1. Ioan. quinto, vers. decimo, duodecimo: si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei

maius est, quod testatus est de Filio suo &c. Est autem hoc testimonium quod vitam æternam dedit nobis Deus, Et hæc vita in Filio eius est: Qui habet Filiũ habet vitam: qui non habet Filium Dei vitam non habet. Item Actor. 26. vers. 22. Testificans, ait Paulus, tum paruis tum magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ ac Moses futura prædixerunt, nempe Christum esse passurum, ac primùm ex resurrectione mortuorum lucem annunciaturum huic populo ac gentibus. Sic 1. Corinth. primo, à versu primo vsque ad nonũ. Et 1. Corinth. 15. vers. primo, secundo, tertio, quarto, vndecimo. 1. Thessal. primo, vers. quarto, quinto, sexto, septimo, octauo. Placet enim Deo testificatione verbi velut medio, non modò fidẽ semel creare, sed etiã cõseruare & augere, ac per eam fœderis quoque illã substantiam electis vniuersis non tantùm semel communicare, sed etiam quotidie & in finem vsque semel inchoatam κατ' αὐτάν suis velut gradibus promouere, nempe in annunciatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi (Luc. vlt.) seu quotidiana vocatione per doctrinam Euangelij, qua nobis offertur Christus vestitus fœdere gratiæ seu promissione remissionis peccatorum & donationis Spiritus Sancti 1. Cor. 1. v. 30. 31. Et cap. 2. v. 1. 2.

2. Nunquam autem Deum se suamq; gratiam hominibus patefecisse sine testimonio verbi etiam ante institutum ministerium testantur multi loci Gen. tertio, & 4. Heb. 1. v. 1.

Nec

Nec velle ab hoc testimonio Spiritum separari cum & legitima Spiritus nota sit verbum Propheticum & Apostolicum, quo de se testatur (ne spiritus mendacij pro Spiritu veritatis se nobis insinuet, atque ita falso testimonio decepti pereamus) quando Spiritus Sanctus sibi ipsi non est dissimilis, ideoque è verbo, quod locutus est, velit agnosci, & etiã in hunc finem testimonio verbi vtatur, vt eo ceu organo se, patrem item, & Filium cognoscendum præbeat Ephes.1.ver.14.15.17.18. Et cap. 2.v.20.21. Ioann.14.v.16. Et 16.ve.13.14. Item Ies.59.v.21: Hoc autem est pactũ meum quod ego pangam cum iis dixit Iehoua: Spiritus meus qui est supèr te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, neque ex ore seminis tui dixit Iehoua, ex hoc tempore & vsque in seculum.

3. Quoniam igitur Deus substantiam illam fœderis à testimonio verbi (cui vt appendices annexa sunt sigilla) non vult esse separatam, licet sit distincta, quòd ita ipsius sapientiæ visum sit & infirmitas nostra id requirat, de illis quoque est dicẽdum. Nunquam enim remissio peccatorum & Spiritus sancti communicatio separanda est à testimonio verbi: quemadmodum nec Christum apprehendere potest fides, nisi vestitum suis promissionibus seu fœdere gratiæ. Tunc enim propriè prodit Christus cum suo officio, quando testimonio Euangelij in Sacerdotem & Regem se nobis offert, & in electis simul fidem generat,

qua efficaciter se ipsis vnit vt caput membris.

4. Etsi autem separanda non sunt Spiritus & testimonium eiusque administratio, distinguenda tamen esse res ipsa clamat. Et efficaciam testimonii verbi non inde manere, quòd virtus testimonio sit inclusa (sic enim omnes, qui testimonium Apostolorum audiebāt die Pentecostes fuissent conuersi, etiam ij qui illudentes dicebant, plenos esse musto Actor. 2.) sed quòd Spiritus Sanctus qui est agens liberè efficaciter eo vtatur virtute apud se residente & pro ipsius sapiente consilio & beneplacito se exerente, ne gloria trāsferatur aliò: De qua re 1. Cor. 12. v. 11. Hæc omnia efficit vnus ille & idē Spiritus distribuēs priuatim illa prout vult. Et Actor. 2. v. 4. & ca. 10. v. 44. 47. adhuc loquente Petro verba illa, illapsus est Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hūc sermonē. Ibi omnes audientes donabātur Spiritu Sancto. Et Acto. 13. v. 48. non itē. Gentes, inquit Lucas, gauisæ sunt, & glorificabant sermonem Domini: & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Vide etiam cap. 8. v. 13. 21.

5. Testimonia autem diuina ordinaria in Ecclesia (nemo enim de Deo eiusq; gratuita beneuolentia æterna idoneus est testis quàm Deus ipse) sunt partim audibilia, partim etiam visibilia. Psal. 19. v. 8. Exo. 25. v. 21. 22. Isa. 8. v. 20. Psal. 78. v. 5. Psal. 92. v. 5. Psal. 119. v. 119. Audibile testimoniū est verbū fœderis gratuiti. Porrò administratio gratuiti fœderis per verbū cōtinet duas partes: vna est præparatio ad fidem, altera est prędicatio gratię qua nomine & authorita-

thoritate Dei offertur Christus quibusuis audientibus cū annexo mandato, vt eum recipiant, quod natura omnes debēt: in electis autem simul vi Spiritus creatur fides, qua oblatum cum suo officio recipiant.

Ac primùm quidē etsi Dominus non vno modo per verbū electos suos ad fidē adducat, tamē vtplurimùm fœdus gratuitū sic administrat Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, vt pro æterna sua sapiētia corda electorum ad id percipiendū præparet, aliis autē omnē excusationē adimat ostendēdo ꝙ fuerit naturale fœdus, seu naturalis obligatio inter Deū, quatenus est creator, & homines ad ipsius imaginē conditos: hoc nimirū, vt quēadmodū se Deus ipsis patefecerat partim internè in sua imagine, partim externè in speculo opificij huius mūdi, ita vicissim ab ipsis honoraretur & glorificaretur. Huius naturalis obligationis testimoniū Deus extare voluit partim in lege naturę inscripta mētibus, partim in lege scripta in duab' tabulis, vtraq; iure creationis nos obligāte (illa in vniuersū omnes homines, altera peculiariter etiā eos quibus lata erat) vel ad obedientiā vel ad pœnā, hoc est, maledictionē seu dānationē propter inobediētiā seu ἀνομίαν donec fiat recōciliatio & quidē prolato iā futuri iudicii præiudicio, partim in conscientia, in qua Deus tribunal suum erexit, partim legis sanctione ore Dei enunciata Deut. 27. v. 26.

6. Testimonio hoc legis promulgato (cuius pulcherrimū habem' exēpiū & velut hypotyposin Rō. 1. & 2.) homo peragitur reus peccati & dānationis ipsius capiti iā incūbētis. Quod

Apostolus vocat esse sub peccato, id est, propter peccatum iam esse sub damnatione & manere donec fiat reconciliatio. Neque enim in futurum euentum eos accusat, sed iam reos peccati peragit, & iram Dei effusam esse demonstrat, non tantùm effundendam. Rom.3. vers.9.

7. Hinc horrores consciẽtiæ, qui electis quædam sunt ad fidem præparatio Rom.7.v. 9.10.24. quatenus scilicet Spiritus Sanctus in iis accendit desiderium reconciliandi se Deo: reprobis autem sunt inferorum atrium, iudiciumque suum in eos Deus hoc pacto exercet dum velint nolint coguntur sentire quam meriti sunt Dei iram. Actor.2.v.37.38. Et cap.16. ve.30.31. Electos verò, alioquin in iis non minùs demergendos, præuenit, & è mortis tenebris nos vocans prius tenebras ostẽdit, & sensu istarum tenebrarum atque horrorum vtitur ad creandum in nobis desiderium reconciliandi nos Deo atque esuriendi atque sitiendi iustitiam, postea accedit promissio Euangelij, quæ satietatẽ in Christo offert, & quod foris offert, Spiritus Sanctus intus præstat 1. Pet.2.ver.9. Matth.5.ver.3.& 6.

8. Etsi autem nolit ampliùs fœdus legale nobiscum percutere vt disertè testatur Ierem. 31, id tamen non impedit quin naturalis obligatio præcedat ad perfectam obedientiam ex propriis viribus præstandam vel ad pœnam, donec per Christum nouo inito fœdere obligatione illa liberemur Ioan.8.v.36. Rom.6.v. 20:& vt liberationem illam expetamus, quãta illa

illa obligatio ſit, & quantarum rerũ, & quàm certa, vtriuſque Legis teſtimonio conuincamur. Ad hæc non impedit quò minus obligatione illa ſolutis Lex vtraque vt doctrina maneat, docens & quid peccatum & quãtum malum ſit: quò fœdus Satanæ fugere, gratiæ verò fœdus & ſemel aditam reconciliationis poſſeſſionem magni facere diſcamus: tum etiam in Legis doctrina nos exerceamus velut organo, quo Deus non aliã, ſed eam ipſam inſcribere vult cordibus, Pſalm. 19. & 119. Hebr.10.

9. Nec etiam impedit noui fœderis promiſſio, quò minùs infideles vt Turcæ, Iudæi, & hypocritæ inter Chriſtianos, qui adhuc ſunt ſub lege tam naturæ quàm ſcripta, tantiſper ſub ea maneant, & quia vtriuſque trãſgreſſores ſunt, ſub certa damnatione ſint, donec tranſeant ad fœdus nouum, ſiue donec fiat reconciliatio per fidem in Chriſtum Rom. 1. v.12.14.Gal.3.v.12.2.Cor.5.ver.20.21: ad quam ſeriò expetendum viuo peccati & mortis æternæ ſenſu legis denuntiatione præparãdi ſunt.

10. Docet autem Lex peccatũ eſſe ἀνομίαν, id eſt, quicquid aduerſatur Legi Dei 1.Ioann. 3.v.4. Et eſt aut originale aut actuale. Originale duas habet partes: vna eſt defectio à Deo in lumbis Adæ omnium ipſius naturalium hæredum: altera eſt corruptio totius eorum naturæ inde ſecuta, quæ ambæ nos faciunt reos iræ Dei, donec fiat reconciliatio Rom.5. ver. 12. In quo (Adamo) omnes peccauerũt Ephe. 2. eramus omnes naturâ Filij iræ, vt etiam re-

liqui. Deut 30.verſ.6. Et Pſalm.51.

11. Actuale peccatũ eſt quicquid in actionibus ſiue internis vt cogitationib' cor ipſum pungentibus, ſiue externis vt dictis & factis, pugnat cum Lege Dei Rom.3. & 7. Deut.27. v.26. Illa omnia ſunt venena lethalia & inimicitiæ contra Deum, ac pugnant cum fœdere naturali inter Deum & nos ſeu conformitate illa cum Deo, quæ lucebat in ipſius imagine.

12. De præparatione hac ad fidem loquitur Chriſtus Ioann.16.v.9. Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, eò quòd non credunt in me. Hoc adminiſtrandi fœderis gratuiti exordium eſt. Conuincet Spiritus Sanctus homines prorſus eſſe corruptos & extra Chriſtum peccatum regnare in mundo, atque homines naturâ non credere in Chriſtum & eſſe ab eo diuiſos. Proprium quidem eſt legis munus conſcientias vocare ad Dei iudicium & terrore vulnerare Rom.3: per Legem agnitio peccati. Sed ritè Euãgelium prædicari nequit, quin hominem à peccato (vt termino à quo) ad iuſtitiam (vt terminum ad quem) & à morte ad vitam deducat 2. Cor.4.ver.5.6.7. 1. Pet.2.v.9.10.25: proinde neceſſe eſt vt Euangelium illud à lege mutuetur.

13. Prout autem Lex peccati conuinces oſtendit homines naturâ ſua, hoc eſt, quãtiſper Chriſto per fidem non ſunt vniti, ſub maledictione eſſe, & impotentiam quoque noſtram, quòd nec maledictionem à nobis tollere, nec vires à nobis ipſis habere poſſimus ad obediendum Deo: ita Euangelium offert Chriſtũ qui

qui merito suo sit saluator tollens maledi-ctionem, & efficacia quoque dum nimirum Spiritu suo nos sibi vniendo intellectum nostrum illuminat, vt iustitiam sua obedientia nobis partam, quæ longè omnem legis iustitiam superat, certo intuitu cognoscamus: & vt corda nostra in ea acquiescant, efficit: ac simul etiam nos renouat ad legis iustitiam, vt ipsi seruiamus sine metu in iustitia & sanctitate vera omnibus diebus vitæ nostræ: atque ita non modò finem assequamur, ad quē initiò eramus conditi, sed etiam superiorem illum ad quem eramus electi, vt in iustitia illa fidei celebretur ob immensas diuitias gloriosæ suæ gratiæ erga nos in Christo Ephes. 1.

14. Vtcunque autem non omnes Christum recipiant, omnibus tamen ad quos verbum illud Euangelij peruenit, offertur 2. Cor. 5. v. 20. 21. Nihil enim verbo gratiæ decedit ex hominum ingratitudine. Qui eū recipiunt eorum corda aperuit Deus, qui antea eos elegerat. Tit. 1. Qui nō recipiunt voluntaria cæcitate nō recipiunt 2. Cor. 4. v. 3. 4. Actor. 13. v. 46. Actor. 2. & 13. Nunquā enim reiicitur Dei gratia sine malitia & cordis contumacia.

15. Electis verò cœlestis Pater per Euangelium Christum non offert duntaxat (nam si nil ampliùs faceret ne oblatum quidem reciperemus Ioann. 1. v. 11: sicut insani medicum à se repellunt) sed per Euangelij prędicationē fidē quoq; in electis creat. Ibidē v. 13. Et cap. 5. vers. 25. Vt si Deus solem non tantùm offerat cęcis, sed simul efficiat vt efficacia, quam ipse

coniungeret, visus in iis quibus ipsi visum esset generetur, quo eius conspectu fruantur Ioan.9.v.26: Sic Filius Dei per Euãgelium vt sol iustitiæ offertur toti mundo, in quo nullos nisi in peccatis mortuos, surdos, cæcos reperit, vt simul efficacia sua electos reddat viuos, audientes, videntes, creando in iis fidem qua viuant, qua eum audiant, qua videant, qua oblatum amplectantur, eoque ad æternam lætitiam fruantur Ephes.2.v.5. Ies.60.v.1.2.3. Et cap. 61.ver.1.2.3. Luc.4. ver.18. 2. Cor.4.ver. 3.4.5.6.

16. Per Euãgelium enim in nobis efficax est Spiritus Sanctus, qui Christo nos inserit creando in nobis fidem, qua Christum oblatum recipimus cum iustitia æterna, quam nobis imputat Dan.9. Philipp.3, & cum Spiritu sanctificationis, qui nunquam à Christo separari potest, quo nos renouat ad resipiscentiá, quæ constat mortificatione veteris & viuificatione noui hominis, quæque tota semper salutaris est. Rom. 6.v.5.6. Cùm autem sanctificatio seu renouatio ad Dei imaginem in hac vita sit imperfecta, ita vt examen iudicij diuini siue rigorem Legis non sustineat, quamuis à Christo fide apprehenso veniat, tamen in rationem iustitiæ coram Deo non venit, sed sola imputata obedientia Christi, quæ est perfecta, imò omni iustitia Legis superior: ideoque ea vestiti intrepidè coram Deo consistimus. Rom.5. 2. Cor.5.

17. Interim verò quoniam Christus accipiendus est qualem se in Euangelio offert

(offert

(offert autem se cum integro fœdere, hoc est, saluatorem merito & efficacia, siue in iustitiam & sanctificationem,) ideò qui Christum nolunt in se esse efficacem, sed in delictis perseuerant contra conscientiam, aut efficaciam suis viribus ascribunt, Christum debito honore fraudantes, ne imputatam quidem iustitiam habent. 1. Ioann.3.v.6.8.9.10. 1.Cor.6.v.9.10.11. Quia Christus non diuiditur 1.Cor.1. v. 9.10.11. Ideò etiam Euangelij concio duabus partibus constat, fide gratuitam remissionẽ amplectente & resipiscentia. Et vt Christus non diuiditur, ita nec hæc duo sunt diuellenda, licet, vt demonstratum est, sint distincta.

18. Porrò hinc primùm videmus, quanta sit fidei certitudo, quæ est velut essentialis eius proprietas. Est enim huiusmodi lumen à Spiritu Sancto in mente hominis creatum, quo in testimonio seu promissione Euangelij non tantùm certò videt voluntatem Dei in Christo erga nos in æternum beneuolam, & quòd nunquam nobis irascetur, nec increpabit nos, sed etiam quo cor per Spiritum Sãctum obfirmatur, quòd ipsemet Deus noster sit secundum totam fœderis substantiam suprà expositam Ies.53.& 54. ver. quinto, octauo, & nono. Quia totam illam substantiam indubitato testimonio permisit is qui verax & potens est, qui quod promittit reipsa præstat. Certitudo hæc æternæ Dei beneuolentiæ ita fidei adiuncta est & propria

vt fides hanc certitudinem nunquam sibi eripi patiatur innixa infallibi testimonio Euangelij, virtute Spiritus Sancti, qui fidei authorest. Ideo Deus apud Iesaiam postquàm æternam misericordiam in Christo promisit, addit omnes Ecclesiæ filios fore à Deo doctos. Certus sum, inquit Apostolus, de omnibus fidelibus, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura &c: poterunt nos à charitate Dei diuellere, qua nos complectitur in Christo Iesu Domino nostro.

19. Neque cum hac certitudine fidei, essentiali eius proprietate pugnat, quòd varijs terroribus affligatur à parte animæ non regenita, seu à carne, item mundo & Satana. Quomodo enim cunque affligentur fideles, fidelitas Dei non finit eos desciscere à certitudine illa seu fiducia, quam Spiritu Sancto mentē illuminante & cor obfirmante ex temonio Euangelij conceperunt de iurata æterna Dei in Christo gratuita misericordia, quòd nunquam irascetur nobis, neque increpabit nos. Psalm. 42. versu sexto. Nam non in ipsa fide quæ Spiritus Sancti lumen est, sed in parte animæ non regenita hæret diffidentia, quæ fidem in altera parte regenita oppugnat: vt ex diuisione illa carnis & Spiritus, quam Paulus tractat Rom. 7. facilè intelligitur. Mens autem non tota illuminata, non desinit certò videre Dei veritatem, ea sui parte quæ est illuminata: sicut qui in carcerē

inclusus

inclusus est, etsi circa ipsum sint tenebræ, nō tamen propter circunfusas tenebras desinit certò intuitu videre eam lucem quæ per fenestram quantumuis angustam irradiat. Etsi enim cognitio Dei totam animam nostram non occupauit (quod in vita æterna demum fiet, vbi cognoscemus sicut & cogniti sumus) tamen quàm hæc ipsa cognitio, quam in hac vita inchoat, & indies promouet Spiritus Sā-ctus voluntatis diuinæ erga nos in æternum beneuolæ, certa sit, docet Apostolus 2. Cor. 3. v. 18. his verbis: Nos omnes retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Quemadmodum autem arbor, quæ vi ventorū quatitur, at non radicitùs euellitur, non desinit in ipsa concussione vitam, quam habet, viuere, & alimenta ex succo terræ trahere: ita & tentationibus quidem concutitur fides, non ex ipsa fidei natura, quasi ipsa incerta sit, sed aliunde ortis: at non è statu suo mouetur, aut euellitur radicitus, quo minus virtute Spiritus Sancti defixa suis radicibus hæreat in iurata hac promissione sanguine Christi sancita. Nunquam irascar tibi, nec increpabo te: indeque alimentum & perpetuam vitam trahit. Ideo Iob cap. 13. v. 15: Etiamsi occidas me, tamen sperabo in te. Psal. 23. vers. quarto: Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quia tu mecum es. 1. Ioann. quinto, vers. 4. Hæc est victoria

quæ vincit mundum fides nostra. Alimentum autem perpetuum, quod dixi ex natura Dei fideli sufficitur 1. Cor. 1. v. 6. 8. 9. Nam si bonitas Dei, iis qui facti sunt fideles, tum cùm ipsius inimici essent, contulit æternam reconciliationem in morte Filij, & simul Spiritum fidei per quem eam amplecterentur: multò nunc magis reconciliati per eandem fidem, qua cùm hostes essent donati fuerunt, ex vita Christi hauriunt vitam: Et sic iustus semper sua fide viuit Rom. quinto. Habacuc. secundo. Ergo nullæ res aduersæ aut tentationum formæ persuadere possunt fideli hoc Satanæ mẽdacium, Deum sibi aduersum esse & infensum, vt ab ipso non speret opem seu timeat vt ab hoste capitali, sed certa semper persuasio, qua semel à Spiritu Sãcto donatus est, defixa hæret in intima mente digito Dei inscripta, Deum verbum quod iurauit, Nunquam irascar tibi, in æternum non mutaturum, ideoque nec mentem in æternum beneuolam, promissione iurata & interna reuelatione Spiritus patefactam.

20. Quod etiam ex illis effectis, quæ in diuisione illa carnis & Spiritus apparent, est manifestum, dum nimirum fideles etiam tum quando queruntur sibi Deum iratum secundum carnis sensum; seu partem animæ non regenitam, non tamen desinunt fide ad Deum confugere, in eius tutelam se recipere ac salutem petere. Quod non facerent, si non Patrem sed hostem infensum eum statuerent.

Dico

Dico autem eos queri Deum sibi iratum secundum carnis sensum, seu partem animæ non regenitam, in qua est conscientia peccati, ideoque & sensus reatus: in altera enim quæ est regenita, conscientia peccati fide est sublata. Semel enim purgati fide in sacrificium Filij nullorum peccatorum sibi sunt conscij (ait Paulus Heb. 10. versu secundo, memoria nempe eorum in æternum in mente Dei deleta, ideoque & in ipsorum mente) non quòd peccatum non sit, sed quòd nō imputetur, quatenus scilicet pars illa Spiritu Patris clementissimi donata est, spiritu illo adoptionis gratuitæ in Christo, eodem ca. 10. v. 17. 18. Et propter hanc æternæ beneuolentiæ paternæ certitudinem ait Paulus Rom. 8. nos per Spiritum Filij seu adoptionis non tantùm dicere Abba Pater, sed clamare, familiarem habere accessum, non ab eo refugere. Huc pertinet locus Rom. 7. v. 20. vbi quidem docetur partem non regenitam, secundum quam homo aliquo modo miser est, gemere: regenitam verò vtroque oculo intueri Christum & pro felicitate gratias agere: pro felicitate, inquam, totius hominis, partim inchoata, partim perficienda, vt pro re certissima vers. 24. 25. Et cap. 8. v. 1. Item Matth. 11. v. 27. 28. 29. 30. Pars fide illuminata & regenita certa est hominem & à peccato, & à maledictione liberatum, & à rigore Legis exigente ex propriis viribus, & contrà donata est per Spiritum Sanctum sensu æternæ iustitiæ quæ longè superat peccatum & maledi-

ctionem; & nouis viribus obediendi Deo sub vmbraculo imputatæ iustitiæ tegente imperfectionem. Atque sic in parte illuminata fide non est conscientia peccati, seu sensus vllius reatus. In parte quidem non regenita est conscientia peccati, vt dixi, inde aliud statuere non potest quàm Deum sibi iratum, quandoquidem lumine fidei non est persusa, quæ sola iram à tota persona sublatam cernit, in victimam Filij Dei imputatione traductam Iesai. 53. secunda Corinth, quinto, atque ita etiam eum defectum qui in fide est eodem traductum, ne in rationem coram Dei iudicio neu certitudinem æternæ beneuolentiæ labefactet. Quod igitur huic parti non regenitæ deest, subleuat fides in altera, de reconciliatione erga totam personam certa in Mediatorem, & motus illos sedat.

21. Adhæc nullum locum relinquimus lethali huic errori, quo velut acto cuniculo certitudinem fidei euertere conantur conducti quidam Antichristi rabulæ, qui Mediatores se fingunt inter veritatem & mendacium somniantes certitudinem fidei, quæ essentialis est eius proprietas, instar candelæ alternatione quadam iam extingui, iam rursus accendi pro diuersis obiectis: atque ita conscientiam statuunt mediam inter spem & metum. Si, inquiunt, consideres teipsum, certa damnatio: rursum si Christum consideres, certa salus. Quasi verò obiectum

fidei

fidei simus nosipsi vt nos intueamur, ac non potiùs Christus nobis donatus, in quem totius personæ vniuscuiusque fidelis peccata in æternum sunt traducta, dum seipsum obtulit & eum oblato dono etiamnum apparet ad dexteram Patris, quem certo intuitu conspicatur fides. Quasi etiam fides instar candelæ separatum à sole lumen habeat, ac non potiùs lumen suum à sole iustitiæ Christo acceperit, Malachiæ vlt. qui vt perpetuo fulgore mentem illuminat, ita etiam illuminatam nunquam sua luce destituit: præsertim cùm nos fides cum Christo coniungat, vt membra cum capite, quæ caput nunquam patitur à se auelli, ideoque perpetuum vigorem & salutis certitudinem in capite possidet Ioan. decimo. Ingredietur & egredietur & pascua inueniet. Et v.28. Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea: Pater qui eas dedit mihi maior omnibus est, neque quisquam eas è manibus Patris potest rapere. Ego & Pater vnum sumus. Et cap.17.v.23. Ego in eis, & tu in me, vt sint perfecti in vnum, & vt cognoscat mundus me à te missum esse, teque eos diligere, sicut me dilexisti. Ergo vi huius κοινωνίας quam credimus, fides cùm reliquias peccati intuetur, intuetur eas in Christum traductas: atque ita etiam cum nos ipsos intuetur, non est certa damnationis (vt loquuntur) sed salutis. Nō potest enim nos intueri fides nisi Christo cōiūctos, alioqui enim

diuelleret ea quæ Deus coniunxit: quod cùm in externo matrimonio sit nefas, multo scelestius foret in spirituali coniugio quod intercedit inter Christum & Ecclesiam Ephes. quinto. I. Corinth. duodecimo, vers. duodecimo. Deinde etiam in ipsa diuulsione aliud scelus committeretur, quòd homo constitueretur obiectum fidei sine Christo. Hoc esset sine Christo esse, sine testamentis promissionum, & sine Deo, vt loquitur Paulus Ephes. secundo. Non autem conciues esse sanctorum, nec ædificatos esse super angularem lapidem: & licet hoc faciant ad tempus, tamen ne ad tempus quidem tam atrox Satanæ mendacium & sacrilegium admittendum, quòd totam κοινωνίαν cum Christo euertit: de qua in substantia fœderis dictum est. Quorsum enim Paulus omnia pro stercoribus duxisset vt Christum lucrifaceret, & vt in ipso reperiretur haberetque non suam iustitiam, sed quæ fidei imputatur? Philipp. tertio. Quorsum diceret, Ecclesiæ quæ sunt in Christo Iesu? Item, Omnibus qui sunt in Christo Iesu, si admitteretur talis alternatio & membrorum extra κοινωνίαν cum capite consideratio, hoc est diuulsio & astuta ipsius Christi subductio?

22 Certitudo illa fidei manifestè ostenditur è descriptione illa Pauli Hebr. II. Est autē fides, inquit, ὑπόστασις illarum rerum quæ sperantur, & ἔλεγχος earum quæ non videntur. Quæcunque de natura fidei ad Hebr. vndecimo dicuntur, collimant ad eum scopum

scopum, quem posuerat sub finem 10. cap. his verbis: Nos non sumus ex iis qui contumaces sunt aut deficiunt, sed ex iis qui plenam salutem tandem obtinent fide. Vt hoc demonstret, docet primùm hãc esse naturam fidei vt sit hypostasis rerum quæ sperantur, fundamentum secuturi ædificij: verũ ita vt iam per Spiritum Sanctum incipiamus possidere illas res, & ex parte iis frui, quarum plena fruitio expectatur. Vt autem non fallimur de pleno successu ædificij cùm cernimus eius fundamentum iactum à sapiente & potente architecto: ita metuendum non est, quin quod in credentibus operatus est Dominus, perfecturus sit 1. Cor. 1. v. 6. 9. Ergo non est incerta & nuda expectatio, sed quę in fundamento iam esse incipit 2. Cor. 5. Deinde addit ἔλεγχον esse rerum quæ non videntur, id est, ocularem demonstrationem seu visionem (vi nempe Spiritus qui lumen illud creat) earum rerum quarum ea est natura vt prorsus videri non possint nec in hac nec in futura vita, ne oculis quidem clarificatis: qualis est voluntas Dei erga nos beneuola, animus condonans nobis omnia peccata, nunquam nobis irascens, summè nos diligens, ea nempe dilectione qua Filium dilexit Ioan. 17. Hæc ne in futura quidem vita oculis quãtumuis clarificatis inspici poterunt, & tamen fides eiusmodi lumen Spiritus Sancti (& ἔλεγχος) est quòd res illas in Deo arcanas introspicit, de qua re pulchrè Apostolus 1. Cor. 2. ver. 10. 11. 12. 16. Si igitur visui corporis nostri nõ potest adimi sua certitudo in rebus

huius seculi (nisi ex videntibus velimus facere cæcos) certò multò minus lumini fidei adimi potest rerum in verbo patefactarum & promissarum constans certitudo priorem illā longè superans, cùm visus corporis ab obiecto aliisque modis falli possit, fides autem nunquam fallatur in Christo, in quo omnes promissiones sunt etiam & Amen.

23. Quod autē comminationes adhibentur, quas fides intueatur in alieno subiecto, quod Paulus ostendit dum ait: Nos autem non sumus ex iis qui deficiunt: ideò fit, quia eiusmodi freno, ostensione nempe iudiciorum Dei, caro seu pars nostri non regenita opus habet, ne alteram partem obruat. Vt enim homo in duos veluti homines diuisus est, sicut antè ostendimus: ita duobus veluti catenis instar nauis inter varios fluctus fides certa consistit. Vna catena est veritas diuinarum promissionum, qua velut anchora fides nititur: altera est veritas communicationum diuinarum aduersus hypocritas & & contemtores gratiæ, qua ceu valida catena vi Spiritus electorum caro à proteruia & hypocrisi retrahitur & coërcetur: non vt alteram catenam infringat, quæ anchoram suam vsque in Christum coniectam habet Hebr. 6. seu promissionum diuinarum certitudinem labefactat comminatio illa aduersus reprobos oculis fidelium subiecta, sed vt carnis æstus cohibeat naturæ Dei contemplatione & comminationum diuinarum effectis in alie-

in alieno ſubiecto, nempe reprobis. Hæc de fide eiuſque certitudine.

24. Reſipiſcentia, quam alteram partem Euangelij eſſe diximus, ſic ex fide naſcitur. Fides Chriſtum in Euangelio oblatum amplectitur: is non tantùm peccata nobis remittit imputando ſuam iuſtitiam, ſed renouat nos quoque ad reſipiſcentiam. Ergo à Chriſto reſipiſcentia propriè fluit: ſed cùm ex fide dicitur prouenire, relatiua eſt locutio, ſeu inſtrumentaliter accipienda, vt loquuntur in ſcholis, quia fides Chriſtum amplectitur, qui eam donat Actor. 5. ver. 31: Hunc Deus dextera ſua euectum conſtituit principem vt det reſipiſcentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum. Reſipiſcentiam μετάνοιαν Græci vocant, quòd mentis in melius mutationem declarat. Eſt quidem poſt peccatum commiſſum μεταμέλεια, id eſt pœnitentia (Nachreu Germanicè) vera peccati merces, & niſi Deus ſuccurrat iter ad deſperationem. At μετάνοια non eſt peccati merces, ſed donum Dei ex vera ipſius gratia manans mentem mutans in melius: illa verò mentem relinquit qualis eſt & ad deteriora rapit, ac deſinit tandem in ſtuporem (qui velut lethargus eſt animę) vel in deſperationem. Sic 2. Timoth. 2. verſu. vigeſimoquinto vult ſeruum Dei talem eſſe qui cum lenitate erudiat eos qui cõtrario animo ſunt affecti: ecquando det eis Deus vt reſipiſcentes agnoſcant veritatem & elapſi ex Diaboli laqueo, à quo captiui tenẽtur, mentis ſanitatẽ recipiãt ad prę ſtandũ illius voluntatem.

Est autem resipiscētia mentis mutatio profecta à Spiritu Sancto à naturali prauitate ad serium & filialem timorem Dei, quæ oritur partim ex agnitione & sensu iusti iudicij diuini aduersus peccata, eiusque sanctitatis, partim ex gustu iuratæ æternæ misericordiæ in Christo. Vt enim ex peccatis nunquam excitabitur peccator, nisi aperiantur ei oculi vt fœditatem suam collatione sui cum natura Dei iusta & sancta atque commeritam pœnam videat ac detestetur (cæcitas enim hæc maior est cæcitate corporis, qua qui laborat cæcum se esse nouit: hic verò non item Ioann.9.ve.40.41.) ita nemo Deum vnquam reuerebitur, nisi qui gustata Dei bonitate propitium sibi confidet vt dicitur Psal.130: Apud te propitiatio est vt timearis: nemo ad mandatorum eius obseruationem alacri animo accedet, nisi qui persuasus erit placere obsequium suum Deo; quod fit dum eius gratia imperfectionem tegit, quæ indulgentia paterni fauoris testimonium est, vt Malach.3.ver.17. dicitur: Parcam eis, quemadmodum quis parcit Filio suo seruienti sibi. Et vt hic fauor nos comitatur in finem vsque ita etiam perpetua esse debet resipiscentiæ meditatio, nec militia hęc nisi cum vita finem accipit Rom.7. Philipp.3. v.12.&c.

25. Resipiscentia quidem in scripturis nō rarò pro tota conuersione accipitur, tumque fidem ex qua renouatio hæc manat complectitur Actor.2: Resipiscite ac baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu in remissionem peccatorum, & accipietis donū Spiritus Sancti

Sancti, vobis enim facta est hæc promissio & liberis vestris, & omnibus longè pòst futuris, quoscunque scilicet aduocauerit Dominus Deus noster. Quia tamen scriptura disertè ea etiam distinguit, nos quoque distinguere voluimus, vt proprietas vtriusque magis sit conspicua Actor.20. ver.21 ait Paulus testificans simul Iudæis & gentibus μετάνοιαν (seu mentis conuersionem ad Deum) & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Proprium enim fidei obiectum est Dei dilectio seu bonitas in Christo oblata per gratuitam promissionem Euangelij, quòd nunquam velit nobis irasci, sed peccata remittat gratis per fidem. Resipiscentię concio additur non vt conditio remissionis peccatorũ vel causa in nobis, sed vt Dei scopus, in quẽ dirigere nos debet effusa Dei bonitas, nempe vt conditi ad bona opera ipsius virtute freti in iis ambulemus Ephes.2. 26. Itaque etsi fides à resipiscentia nunquam diuellatur, tamen quia & ipsa resipiscentia, vtpote in hac vita imperfecta, venia opus habet, fides semper vtroque oculo promissionem gratuitæ æternæ misericordiæ in Euangelio oblatæ intuetur. Nam vt per Euangelium creatur fides, ita etiam alitur adeò vt sublato Euangelio seu promissione gratuita in Christo fides non possit vel ad momẽtum subsistere. Quis enim Christum sibi ausit asserere vel vendicare vt propriũ nisi Deo ipso id promittente, & simul in conscientia hominis per Spiritum adoptionis id testificante ad Gal.4.ver.5.6.7. Cuius promissionis intuitu

Christut se donũ Dei vocat Ioann.4. v.10. Et simul Samaritanæ mulieri per Spiritum quem promittẽdo aquam viuam nominabat salientem in vitam æternam, & compluribus Samariæ ciuibus efficaciter in conscientia donum illud testificatus est ad iustitiam & vitam æternam vers. 26. & 42: vt & primis nostris parentibus in prima illa promissione de semine mulieris quod contriturum erat caput serpentis testificatus est.

27. Quamobrẽ in nullam rem vehementiore studio inde ab initio incubuit & etiámnum incumbit humani generis hostis, quàm vt verbum Euãgelij seu fœderis gratuiti è cordibus hominúm euellat ne credant & salui fiant Luc. 8. ver. 12. In ipso generis humani exordio serpens ille antiquus à verbo legis, atque ita à creationis fœdere falsa interpretatione hominem abduxit (neque enim ante lapsum opus habebat Euangelio) cuius legis in imagine Dei lucentis summa erat, vt diligeret Dominum Deum suum ex tota anima (sicut & Moses summam repetit, Nunc Israël quid aliud requirit à te Deus quàm vt se diligas ex toto corde tuo) & in testimonium dilectionis illius ab vnius arboris vsu abstineret dando Deo laudem sapientiæ &c. Et sicut Diabolus hominem abduxerat à lege: Diliges Dominum Deum tuum: ita post lapsum ab Euangelio quod non dicebat Adamo, Diliges Dominum Deum tuum (nam lux illa erat extincta, ideoque fugiebat Deũ quem non amplius diligebat) sed, Sic Deus dilexit

mundũ vt Filium ſuum vnigenitũ daret: quod idem eſt cum illa promiſſione, ſemẽ mulieris conculcabit caput ſerpentis: ab eo, inquã, verbo, quo Deus ſuã dilectionem in Chriſto promiſit, mulierẽ abducere conatus eſt Satan, atq; ita prorſus nullum verbum relinquere voluit lege iam antè in ea extincta, dum Abelem ob huius promiſſionis fidelem intuitum in oblata victima per Cainum trucidat, quò Euæ ſuſpectum redderet Euangelium acſi non vitæ verbum eſſet: atque ita rurſus à vita æterna eã abduceret defectione ab Euangelio, quemadmodum antè defectiône à lege. Antè quidem falſa interpretatione, quòd mors non eſſet metuenda violatione mandati, ſed vita omniſcia & æqualitas cum Deo (Deo met huius rei ſibi probè conſcio) certò ſperanda: iam verò, quòd non liberatio à morte ex promiſſione Euangelij, ſed mors ipſa & omnes calamitates ipſis impendeant, ſi credant Euangelio cuius hi primi eſſent fructus, quos tamen ſcelleratè Euangelio imputabat, qui Satanæ crudelitatis, mendacij, & homicidij erant proprij, teſtificante id Dei Filio Ioann. 8. Quò maior nobis eſt adhibenda cautio ne vel tantillum à verbo gratiæ vel Euangelij deflectat fides. Non fruſtrà clamat Paulus, ô amentes Galatæ. Sic non fruſtrà eos atteſtatur tanta contentione: Si Angelus de cœlo venerit & aliud Euangelium annunciauerit vobis (illud autem eſt, cuius res teſtata in articulis fidei comprehenditur) anathema ſit. Item, Ex gratia excidiſtis

quotquot per legē vultis iustificari, & inanes facti estis Christi. Etenim verbum Legis semel primis parētibus è corde ereptū & transgressione violatum, nobis quoque qui in Adamo peccauimus, & in peccato concepti sumus vnà ereptum est, ita vt non diligamus Deum ex toto corde: ideoque etiam è verbo illo iustitiam haudquaquam sperare possumus, vtpote è verbo quod per Diabolum ex Adæ & omnium eius naturalium hæredum cordibus ereptum, & transgressione violatum est. Iam si verbum Euangelij seu promissionem gratiæ quocunque Satanæ astu, siue lege quæ infirmatur per carnem Rom. 8. v. 3. siue in falso Christo nobis patiamur eripi, quo solo verus Christus & in eo vniuersa fœderis substantia nobis offertur, & per Spiritum Sanctum cordibus obsignatur, quid nobis erit reliquum? Rom. 1. v. 1. 2. 3. 4. Actor. 10. v. 42. 43. 44. 2. Pet. 1. vers. 17. &c.

28. Simus igitur firmi, radicati, fundati in illo, quod non frustrà verbum reconciliationis 2. Cor. 5, ministeriū Spiritus 2. Cor. 3. verbum offerens remissionē peccatorum Actor. 10, verbum vitæ Actor. 4. & cap. 13. v. 46. verbum salutis 1. Cor. 15. v. 2, verbum fœderis æterni Iesai. 59, fœdus pacis & misericordiæ æternæ iuratæ Ies. 54, verbum promissionis gratuitæ seu donationis gratis factæ Gal. 3. v. 18. Actor. 3. ve. 25. 26. à Spiritu Sancto vocatur: potentia denique Dei ad salutem cuiuis credenti Rom. 1: quia nimirum & de tantis rebus testatur, easque diuinitus offert, & simul est potens

potens Spiritus Sancti organum, quo etsi liberè, efficaciter tamen operatur vt Christum cùm illis bonis non modò offerat, sed fidem quoque in electis creet qua recipiatur. Et sanè sublato Euangelio nil restat in mundo præter densas tenebras Iesai.60. Surge illuminare, venit lumen tuum & gloria Iehouæ super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos: super te autem orietur Iehoua & gloria eius super te videbitur, & ambulabunt gentes ad lumen tuum, & populi ad splendorem ortus tui. Dicit autem Dominus ad Ecclesiam electam (quam discernit à reliquis populis) surge illuminare. Et in Euangelio: Resipiscite & credite Euangelio Marc. primo Matth. tertio, non quòd Ecclesia propriis viribus surgat, resipiscat, & credat siue illuminetur, sed quòd Christus qui mandat vt surgat, vt credat, vt resipiscat, seu vt illuminetur, simul det & efficiat id quod mandat. Quemadmodum Actor. tertio dum Petrus ad Claudum non suo sed Christi Nazareni nomine ait. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula, Dominus Iesus simul dat vires, quibus posit surgere.

29. Hinc etiam perspicuum est quomodo vocatio per Euangelium absoluat homines à peccatis seu iustificet (nam absoluere homines à peccatis & iustificare idem sunt Rom.8. v.33. Actor.13. vers.38.39.) cùm tamen sola fide in Christum iustificemur, siue fide

in promissionem Euangelij de Christo: quatenus nimirum prædicatio Euangelij, siue ad multos siue ad paucos siue ad vnum dirigatur, testimonium est authoritate Dei munitum, Christum omnibus esurientibus & sitientibus offerens in iustitiam seu gratuitam remissionem peccatorum II. versu 28: deinde etiam quatenus est organum, quo Spiritus Sanctus desiderium reconciliandi se Deo & fidem ipsam creat, atque semel creatam fouet atque confirmat, qua oblatum Christum cum sua iustitia accipientes absoluimur tectis nostris peccatis gratuita ipsius iustitia nobis imputata Romanor. quarto, & quinto. Item 2. Corint. 5. v. 18. &c. Hæc omnia sunt ex Deo qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christū, deditque nobis ministerium reconciliationis, nempe quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non imputando eis peccata eorum, posuitque in nobis sermonem hunc reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur velut Deo precante per nos. Oramus Christi nomine reconciliamini Deo. Fecit enim vt qui non fecit peccatum pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iustitia Dei in eo. Ait reconciliationem cum Deo per Iesum Christum antecessisse: deinde quoque ministerium reconciliationis huius, seu sermonem reconciliationis Christi seruis esse concreditum. At enim dicet aliquis, An non omnes absoluti à peccatis sumus, cùm Christus factus est

λύτρον

λύτρον pro peccatis condemnatus vt nos absolueremur, & vt rata esset absolutio seu iustificatio, à damnationis sententia absolutus & è morte excitatus est? Verum est si propositum & mentem Dei spectes: sed vt eius fauoris seu gratiæ apud Deum reconditæ sensus ad nos perueniat, opus est Deum de semetipso in Christo testari per Euangelium, & creando fidem, dilectionem qua nos complexus est in corda nostra per Spiritum Sanctum effundere Romanor. quinto. Etsi enim in mente diuina propositum remittendi peccata propter satisfactionem Filij, donationem Spiritus Sancti (qui famis & sitis diuinæ gratiæ, adeoque fidei author est) ordine præcedat (cui enim Deus peccata adhuc imputat ei Spiritum adoptionis non donat) non priùs tamen ad nos peruenit bonitatis illius gustus, quàm dum per ministerium reconciliationis famem & sitim suæ gratiæ fidemque generat, qua eam oblatam, Spiritus virtute percipiamus. Ita in Dei proposito remissio peccatorum donationem Spiritus adoptionis ordine præcedit: in executione in nobis donum Spiritus Sancti sensum remissionis peccatorum. Ideo Paulus Rom. 8. vocationem efficacem iustificationi præponit in executione electionis diuinæ. Quos (inquit) vocauit (scilicet efficaciter dando Spiritum fidei) hos & iustificauit. Sic in substantia fœderis sacerdotium vt fundamentum regno Christi est substratum. Prius

enim genus humanum reconciliari necesse est quàm effundatur Spiritus Sanctus. In administratione verò fœderis efficacia regnantis Christi facit, vt sensus ipsius sacerdotij seu cum intercessione oblatæ victimæ ad nos perueniat. Vt enim Sacerdotium directè ad Patrem dirigitur pro nobis, ideoque principem locum seu ordine primum obtinet: ita regnum Dei ad nos rectà spectat. Ideò Luc. vlt. postquàm Saluator de Sacerdotio suo & morte disseruisset, ad regnum transit, quo fit vt sacerdotij sui vis ad nos perueniat. Ita scriptum est, inquit, & ita oportuit Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in eius nomine resipiscentiam & remissionem peccatorum apud omnes gentes incipiendo ab Hierusalem. Vos autem estis horum testes: & ecce mittam promissum Patris mei super vos: vos autem manete in vrbe Hierusalem vsque quo induamini virtute ex alto. Affirmat oportere ad finem vsque mundi seu donec Dominus ipse venerit prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum, quatenus nimirùm prædicatio Euangelij organum Spiritûs Sancti est (quò pertinet quod ait, induendos esse virtute ex alto) quo primùm peccata omnium ex lege redarguit, & displicentiam sui in electis generat ac desiderium reconciliandi se Deo: (ne quis

putet pronunciatis aliquot verbis seu syllabis absque concione pœnitentiæ arguente acriter peccata remissionem eorum annunciari: id enim pugnaret cum mandato Christi, atque adeò ipsa Dei natura Luc. vltim. Exod. trigesimoquarto.) Et sic præparatis cordibus (sicut Paulus ait: Oramus Christi nomine, reconciliamini Deo) vt cœlitùs ad nos missum testimonium gratiam seu remissionem in Christo offert, & vt Spiritus organum fidem in electis generat, semel generatam fouet atque confirmat, eaque omnia authoritate Christi veracis & potentis, cuius est legatio secunda Corinth. quinto. Testatur igitur minister vt Christi legatus non suis, sed Christi verbis omnibus & singulis credentibus gratis propter Christum esse remissa peccata & etiamnum remitti: intus autem & mentem illuminat, & eandem promissionem Spiritus Sanctus quam auribus per vocem ministri ingerit & offert, solus cordibus obsignat, & vt dilectionem Dei in Christo sentiant, efficit Romanor. quinto, versu primo & quinto. Ideo Christus Ioan. vigesimo vers. 21. &c. Spiritum Sanctum coniungit cum promissione remissionis peccatorum per prædicationem Euangelij, Et Iesaias Spiritum cum verbo fœderis gratuiti. Sic contrà prædicatio per Euangelium retinet peccata, dum incredulis prædicatur in testimonium. Dum enim affirmat impœnitentibus &

infidelibus retenta esse, verè retenta sunt à Deo qui mentiri non potest Tit.1.Mat.16.

30. Discrimen itaque est inter Deum, qui absoluta potestate solus remittit peccata, & ministrũ qui remissionem Dei annunciat, seu remissa esse testatur nempe credentibus: contrà infidelibus seu impœnitentibus esse retẽta. Quomodo vtitur D. Petrus potestate clauium soluendo Actor.10. ita vt testimonium Petro cum omnibus Prophetis conueniat, & effusio Spiritus, per quem promissio gratiæ obsignatur, soli Christo ascribatur. Huic, inquit, omnes Prophetæ testimonium dant, quòd remissionem peccatorum per nomen eius accipiat omnis qui credit in eum. Adhuc loquente eo verba illa, illapsus est Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant hunc sermonem. Quomodo idem Petrus idem liget vide in exemplo Simonis Magi Actor.8. v.20.&c.

31. Et hæc est potestas clauium Ecclesiæ à Christo tradita nõ ministerium simpliciter, sed authoritas ministerio addita ratum fore in cœlo quod secundum Dei voluntatem certo verbo Prophetico & Apostolico patefactam ipsius nomine seu mandato per Ecclesiæ ministros in terra annunciatur. Ita claues sunt ipsa prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorũ in nomine Christi Luc. vltim. potestas verò, ipsa authoritas qua hæc prædicatio munita est, cùm ad stabiliendum fidem electorum, tum ad deiiciendum omnes munitiones Satanæ & reproborum quę contra eam

tra eam eriguntur, & constringendum conscientias infidelium reatu 2. Corint. decimo, versu 3.&c.

32. Cæterùm, vt hæc quoque obiter inseramus, cum hac potestate clauium, qua Deus muniuit doctrinam Euangelij, eadem est potestas clauium qua muniuit disciplinam seu regimen Ecclesiæ. In circumstantiis duntaxat est discrimen. Concio enim pœnitentiæ & remißionis peccatorum accommodatur ad personam lapsam: sed eo modo & gradibus quos Christus ibi pręscribit, & per eas personas, nomine Ecclesiæ, quæ ad id sunt electæ. Accedit authoritas, quòd quæ secundum voluntatem Dei ligauerint in terra, erunt in cœlis ligata: quæ soluerint, erunt soluta vt videre est Mat. 18. Et prima Corinth. quinto. secunda Corin. secundo, versu quinto, & 2. Timoth. 2. v. 7. Finis primus est vt ouis perdita in viam reuocetur, vt antecedentia ostendunt, hoc est, ne quis à semel suscepta Baptismi gratia excidat, aut si ab ea aberrrare excideréue cœpit, admonitus priuatim si delictum sit priuatum, vel publicè si publicum, aut per contumaciam ex priuato publicum factum, pudefactus secundum ordinem à Deo præscriptum resipiscat, & fide reconciliationem cum Deo accipiat. Est enim efficax Spiritus Sanctus per ordinem à se in Ecclesia constitutum. Et hoc est quod Christus ait, Nos lucrari fratrem. Secundus finis est vt alia Ecclesiæ membra à contagio conseruentur: